

# ANNALIUM PROVINCIAE S. JOSEPHI Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS Redemptionis Captivorum.

## LIBER VII. SYNOPSIS.

**I**N Principum Electorum Conventu Francofurti **CAROLUS III.** Hispaniarum Rex Austriacus, absens, Imperator Romanorum ejusdem Nominis **VI.** eligitur, coronatur, & in Austria revertitur: Regni Hungariae sacram suscipit Coronam: Ordini nostro & Redemptionis captivorum Instituto eximiè favet. Tyrnaviae Ordinis Cœnobium instituitur, & Comaromii pro altero Cœnobia situs comparatur. Pestifera lues nostros affigit, & aliquos tollit. Honorifica eorundem memoria. **S. VICTORIS** Martyris corpore Ecclesia nostra Viennensis ornatur. Pragensis item nostra Ecclesia consecratur; & campanum ibidem benedictum adversus tempestates mirabilem prodit virtutem. Decima captivorum Redemptio successu vario in effectum deducitur. Pragæ in Ponte, Moldavam fluvium coronante, celebre Ordinis monumentum excitatur. Ordo noster Posonii per publica comitia in gremium Regni recipitur. Comaromiense nostrum cœnobium stabilitur, & sacro-sancta Eucharistia ibidem collocatur.

### C A P U T I.

**CAROLUS III.** Rex Catholicus, **VI.** hujus Nomini, Imperator Romanorum eligitur. Ab **AMALIA WILHELMINA** Augusta Vidua Viennense Tempum nostrum pretiosissima pro sacris usibus veste donatur.

**I.** Post JOSEPHI I. Gloriosissimi Romanorum Imperatoris lugubrem ex hoc mundo transitum repentina successit rerum mutatio, aliud theatrum, proscenium aliud. Dubias inter tempestates Serenissimus CAROLUS Rex Catholicus, alter LEOPOLDI MAGNI Filius, Fratérque JOSEPHI Augustorum ex aſſe Kkkkkk hæres

Ex Catalani Francofurtum invitatus  
CAROLUS III. Rex Catholicus.

1711.

hæres Barcinonæ apud Catalaunos hærebat longè ab Austria se-  
motus, cuius tunc præsentia in Germania vel maximè desidera-  
batur, ut variorum motuum & consiliorum nubes ejus virtute  
ceu sidere quodam salutari celerius dispellerentur. Barcinonam  
Kalendis Maji quindecim duntaxat dierum intervallō insperatus  
nuncius de obitu Augusti pervenit, quō allapsō grandi omnes  
pavore ac consternatione perculsi sunt, ipsīs etiam felicium ha-  
ctenus rerum moderatoribūs in varia studia abeuntibūs. Vere-  
dariis interea, ulro, citrōque assiduè circumcursantibūs nuncis,  
Augustaque Matre Filii redditum solicitante, Imperii Electores  
decreverunt die vigesima Sextilis Francofurtum ad Mœnum pro  
novi Imperatoris electione accedere, ad quam Serenissimum  
**CAROLUM** e Catalaunia evocaverunt, quod ejus in Germania  
præsentia magnum ad Imperii Romani tranquillitatem & gloriam  
momentum allatura videretur.

*Ad Electionis  
comititia.*

II. Intricatæ sortis vicissitudines novum terris chaos mini-  
tabantur, & invalescente perplexissimorum negotiorum multitu-  
dine **CAROLI** Austriaci Magnanimitas avidissimè expectabatur,  
cui constitutum erat & parta tueri, & avitam adire hæredita-  
tem, utrumque justitiæ causā. Id requirebat, in suos fideles  
Iberos pietas, atque studium, nec minùs urgebat amor in Patriam,  
& suorum desiderium. Igitur utrobique rem Austriacam stabi-  
lire conatus, postquam res Hispaniæ composuisset, fidelissimosque  
subditos suos spe Regiæ suæ Protectionis erexisset, & pro confir-  
mandis eorum animis Reginam Conjugem suam inter illos reli-  
quisset, tandem die decima tertia Septembris, post quinque ferè  
menses ab obitu Augusti Fratris, paratam classem consendit,  
velisque ventis permisīs in Italiam navigavit. Hæc ille dum  
agit, interim Francofurti fervet Electionis studium: universi  
pronō feruntur desideriō in **CAROLUM** Austriacum Regem Ca-  
tholicum absentem, quem a sœculis avorum merita & sui ipsius  
Imperatoriae virtutes atque Regia dignitas domi, forisque com-  
mendatissimum reddebant, eumque propterea ad Augustale so-  
lium esse sublimandum censebant. Omnes itaque consonis suffra-  
giis in hunc Principem conspirarunt; ut proinde acutum quad-  
dam ingenium non minùs eleganter, quam venustè sequentibūs  
versiculis ad propositum & votorum summam luserit:

*CVI dabis Imperii Felix Germania Pomum?*

*Dum quæris, dicis vaticinando CVI.*

Sub ingenioso videlicet ænigmate per verbulum CVI in principio  
& fine hujus distichi interrogans & respondens initiali littera  
**CAROLUM**, & sequentibūs numerum ejus Nominis VI, non  
infeliciter omnino designavit.

III. De Vaticinio ad historiam regredior: Mare Mediterraneum, ut est infidum alias elementum, & non levibus obnoxium,  
periculis nunc se præsttit indulgentius in Principis obsequium,  
furosisque imperavit procellis; nam ventorum ministeriō felici-  
ter ad fines Ligurum detulit Heroum classem Octobris duodeci-  
mā, eadem nimigum die, quā **CAROLUS** Francofurti Germanie  
Rex

*Electionis æ-  
nigma in par-  
ticula interro-  
gantis & re-  
spondentis  
CVI. Quod  
est CARO-  
LUS VI.*

*Ex. Octobris  
electus impe-  
rator eadem  
die portum  
attigit.*

Rex absens adhuc peregrè omnium Principum consensu renunciatus fuit mirabili planè elementorum & suffragantium Electorum concordia. Genuam subinde appulsus in litus descendit, nec tamen urbem, Ejus salutandi cæteroquin avidissimam, ingressus e vestigio Tortonam contendit. Per Mediolanensem agrum profectus, & devotissimis populorum obsequiis excultus Electionis suæ nuncium accepit. Indè Comitatum Tyrolensem adivit, & Oeniponti, Provinciæ capite, ab indigenis homagium recepit, eorumque fidelitatem impendiò commendavit. Francofurtum ad decimam nonam Decembris splendido comitatu ingressus post triduum inaugurali cæremoniâ Romani Imperii suscepit insignia, cui tota Germania solii perpetuitatem apprécatur.

1711.

Tortonam,  
Mediolanum,  
Oenipontum  
transit.

19. Decembri  
Francofurtum  
pervenit &  
coronatur.

IV. Hæc inter ELEONORA Augusta Mater vicaria Potestate non sinè summa prudentiæ laude hereditarias Provincias sanctissimè gubernabat. AMALIA WILHELMINA porrò, Vidua Majestas altera, luctu oppressa & pietatis operibus sedulò intenta, profusis etiam largissimis in egenos muneribus DEUM Augusti Conjugis animæ propitiare studuit. Munificentissima ejus liberalitas ad ipsum quoque nostri Viennensis Cœnobii Templum memorando munere se extendit; pretiosissimam siquidem veleum suam cum protenso, regio more, syrmate textili aurò gravem ad artis amissim & oculorum invidiam contextam, in qua unica tantum vice nempe ad decimam nonam mensis Martii in festa lucce S. JOSEPHI processerat, Cæsarem Conjugem ad S. Stephani Basilicam pro solempni comitata, in Sacerdotalem pro Ministris altaris ornatum suis impendiis converti curavit, ad proximum apud Viennenses nostros Sanctissimæ TRINITATIS Festum condecorandum, quemadmodum reapsè factum fuit. Eximum munus & donum excellentis dignationis; sive enim pretium, sive artem spectes, vix alibi par est reperire, adeoque gratâ posteriorum memoriâ identidem recolendum.

Augusta Vi-  
dua AMALIA  
in signi munera  
nos donat.

## C A P U T II.

CAROLI VI. Romanorum Imperatoris in Austria adventus. Coronatur Rex Hungariæ, varie que Gratiae ab eodem Ordini nostro conceduntur.

1712.

I. Nitium anni millefimi septingentesimi & duodecimi Augustissimi. Imum Solem & maximum Sidus nostrum, CAROLUM VI, Austria reddidit, qui diu anxiè desideratus sexta tandem & vigesima die Januarii sub horam quintam vespertinam ingressus est Viennam, tantâ tamen modestiâ ex Fraterni funeris recordatione, ut omnem externam pompam & signa lætitiae inhibuerit. In Regia ab Imperatricibus & Sororibus Archi-Ducibus ac Procerum multitudine ineffabili gaudio exceptus est. Sequenti luce a pietate, ut mos est Austriacorum Principum, Regimen auspicaturus ad Divi Stephani Proto-Martyris Basilicam equò vectus tetendit comitante Præcipue nobilitatis, centum quinquaginta Illustrium Procerum,

Cæsar Vien-  
nam adve-  
nit.

1712.

**corona.** Ad magnam, sive Archi-Dualem, quam vocant, Tem-  
pli januam a Cardinali de Saxonia, Nuncio Apostolico & Vien-  
nensi Episcopo honorificentissime salutatus, undæque lustralis  
aspergine tintus plurimis Austriæ Prælatis & Abbatibus Pontifi-  
cali cultu assistentibus, & circumfusò utrinque Canonorum Col-  
legiò per medium Templi, cujus utrumque latus Monasticorum  
& Regularium virorum cœtus hinc indè stipabant, ad principem  
deductus est aram, ubi in genua pro voluto Cæsar Supremo Nu-  
mini pro tot superatis periculis, exantlatis laboribus & emensis  
feliciter itineribus debitas gratias persolvit, atque ab omnipotente  
DEO pro se, suisque Regnis & populis sanctam benedictionem  
poposcit; quatenus commissam sibi Rem-publicam ad ejusdem  
Nominis gloriam & sanctæ Matris Ecclesiæ, cujus se noverat jura-  
tum primum & supremum **Advocatum**, exaltationem sancte &  
piè gubernaret.

*Coronatur  
Rex Apostoli-  
cus in Festo  
SSS. TRINI-  
TATIS*

*Absolutio ge-  
neralis imper-  
titur Cæsari.*

*Albo Confrat-  
ernitatis Po-  
soniensis no-  
men inscribit.*

II. A tumultibus ad quietem jam rediverat Hungaria, ubi-  
que pacata: Rege tamen suo etiamnum destituta, cùm Regnum  
illud ex more Majorum Regem non agnoscat nisi coronatum. A  
Statibus itaque & Ordinibus advenerunt Legati, qui CAROLUM  
Imperatorem ad Regni Apostolici capessendam coronam invita-  
rent, quorum etiam precibus benignè annuit, & Posonium, pro-  
ximam Hungariæ urbem, concessit, ibidemque vigesimâ secundâ  
Maji in Dominica Sanctissimæ TRINITATIS omnibus perfunctus  
solemnibus Apostolicam Regni Coronam manibus Christiani Au-  
gusti, Purpurati Strigonensis Archi-Episcopi, sibi imponi permisit.  
Cæterùm cùm hac die, ut paulò anteà insinuavimus, Festum  
Sanctissimæ TRINITATIS Sacri Ordinis nostri Titulare celebra-  
retur, quô alias omnis ferè populus recolendi Divinissimi Myste-  
rii causâ ad nostros Posonienses confluere solebat, hòc tamen an-  
nò propter Regiam Coronationem universis ad publicæ functionis  
spectaculum dilapsis pauci in nostro Templo comparuerunt. Ne  
autem nostri suis partibus decessent, non solùm omnibus, quo-  
quot per intervalla acceſſerant, generalem, ut vocant, absolutio-  
nem impertiti sunt, verùm etiam, qui probè meminerant, Re-  
gem Neo-Coronatum annos ante quindecim nostris se Viennæ  
Confratribus propriò chirographò accensuisse, Regiam arcem  
confidenter petivère, Regem Principem obsequiò suò demeritu-  
ri, & eandem generalem absolutionem oblaturi. Nec aspernatus  
est Piissimus Princeps nostrorum studium, sed Patres confessim  
in conspectum suum admisit, atque ab iisdem juxta receptam  
Archī-Confraternitatis consuetudinem genuflexus absolvi voluit.  
Noſtri tanta Imperatoris facilitate erecti in discessu Suæ Majestati  
humillimis verbis exposuerunt, se pro ingenti gratia reputatu-  
ros, habituósque incomparabilis Thesauri locò, si sua factatissima  
Majestas vellet gloriosum nomen suum Posoniensis pariter nostre  
confosalitatis albo inscribere. Librum exhibent, & jam prepa-  
ratum folium libri ornatumque picturis. In hoc quoque noſtri  
pro ſuo desiderio ſunt exauditi, & eundem librum Suæ Majesta-  
tis eleganti chirographò condecoratum die vigesima septima  
ejus-

ejusdem mensis Maji feriâ sextâ post CHRISTI Corporis Solemnitatem receperunt. Aperto volumine Regium nomen, dicto fo-  
lio inscriptum, gestientibus oculis aspicerunt, quod Imperator  
Rex hac formâ exaraverat:

1712.

17 + 12.

Constantia & Fortitudine  
Carolus.

Oni ingeniosus quidam calamus superaddendum putavit sequens  
chronographicum:

CoronatVs In DlE sanCtissIMæ TRINITATIS.

III. Et profectò Regiarum gratiarum illud fuerat initium, unde fibi nostri multa præclara impostorū ominabantur, firmiter persuasi, se crebrius deinceps propensam Principis benignitatem pro Ordinis emolumento experturos: neque fefellit eos concepta fiducia, ut sequenti eventu patuit: degebat fortassis his diebus Posonii P. Josephus a JEsu Maria captivorum pro tempore Redemptor, qui, quod offici sui ratio efflagitavit, supplice li-  
bello sue Majestati exposuit varios quosdam errores per Regnum vagari, & sub specioso redimendorum captivorum titulo que-  
stum exercere, incutam plebem circumvenire, noctuque per ta-  
bernas pergræcari, quod interdiu per vicos æruscaverant, ex quo vero & legitimo Redemptionis Instituto grande damnum & præ-  
judicium accederet. Rogavit itaque, ut sua Majestas dignaretur  
tanto abusui opportunum remedium providere, nostrisque Ordini, de bona Redemptionis administratione probato, proscriptis  
hujusmodi circumforaneis impostorib[us] s[ecundu]m jus eleemosynas pro  
redimendis captivis colligendi afferere, ac præterea indulgere, ut  
nostris, dum urbem vel oppidum, aut alium quemcunque locum  
accident, CHRISTI fidelis populum ad conferendam stipem  
pro captivorum, in turcarum, aut Tartarorum servitute gemen-  
tium Redemptione ex publicis Templorum ambonibus adhor-  
tari valeant. Justissimis hisce precibus Clementissimus Rex Im-  
perator prolixè annuit, & die septima Junii ad supplicis vota Pa-  
tris sequens expedivit Diploma:

Ne exterrim pro  
captivis ele-  
mosynas col-  
ligant, prædi-  
bentur.

CAROLUS VI. DEI GRATIA ELECTUS ROMANO-  
RUM IMPERATOR semper Augustus, ac Germania, Hispania-  
rum, Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croatia, Slavoniaq[ue], &c. Rex,  
Archi-Dux Austria, Dux Burgundie, Brabantie, Styrie, Carin-  
nia, Marchio Moravia, Comes Habsburgi, Tyrolis & Goritiae &c.  
universis & singularis Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus,  
Spectabilibus, ac Magnificis, item & Egregiis, nec non & Pruden-  
tibus ac Circumspectis; singulariter vero Archi-Episcopis ac Ordina-  
riis ac Diocesanis Episcopis, Archi-Diaconis & Vice-Archidia-  
conis, Supremis præterea & Vice-Comitis Judicialium & Juris-  
toribus, ac ipsis Universitatibus, quorumcunque prælibati Regni

Diploma.

LXXXX

No-

1712. Nostrae Hungarie & Partium eidem annexarum, Comitatuum, prout & Regiarum & Liberarum Civitatum nostrarum Consulibus, Jūdicibus, Senatoribus, ac tam harum, quam aliorum etiam quorumvis Oppidorum ac Locorum Comitatibus, cunctis denique aliis cūjuscunque Statūs, Gradūs, Honoris, Conditionis & Praeminentie Fidelibus nostris Ecclesiasticis pariter & Secularibus cum presentibus requirendis Salutem & Gratiam.

Devoti & Fideles Nostrae, Nobis Dilecti Religiosi Patres Ordinis Discalceatorum Sanctissimae TRINITATIS de Redemptione captivorum Majestati Nostrae humillimè representarunt, qualiter iidem juxta pium ac laudabile Ordinis sui Institutum intra decursum viginti quatuor annorum, quibus in Hereditariis Regnis & Provinciis nostris commorantur, diversis vicibus ultra mille Christianos captivos ex dira Turcarum & Tartarorum, naturaliter Christiani nominis hostium, servitute & squaloribus sacra eleemosynæ, apīs Christianis conquisite, administratō, eliberassent, hocque pium & salutare opus pro solatio tam corporali, quam spirituali, tot, ac tantorum ab hinc in eadem Turcia & Tartaria in captivitate gementium & incessantibus lacrymis libertatem suam suspirantium animarum Christianarum continuare vellent, atque cuperent. Suplicantio iidem Patres dicti Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum religiosa cum devotione humiliè, quatenus eisdem benignas Patentes nostras eum in finem clementer concedere dignaremnr, ut omnes CHRISTI Fideles ad Charitatem cum ejusmodi Christianis apud Turcas & Tartaros captivis compassionem exhibendam ex publicis quarumvis Ecclesiarum Cathedris adhortari valeant, hujusmodi eleemosynam in prælibato etiam Regno nostro Hungarie, Partibusque eidem annexis nemini alteri extraneo, qui nimis in Hereditariis Regnis & Provinciis nostris non residerent, colligere liceat, sed unicè per antelatum Ordinem Discalceatorum hunc in finem destinato Redemptori captivorum Religioso, utpote P. Josepho a Jesu Maria, ejusdemque in hoc munere deputando Successori, singulò bienniò vel trienniò implorare sit liberum, cujuspote administratō miseri captivi ex Hereditariis duntaxat Regnis & Provinciis nostris oriundi suam consequi valeant libertatem. Quod pium & salutare, multisque pro consolatione temporali æquè, ac æterna proficuum repetiti Sacri Ordinis Institutum promovere clementer cupientes, neque dubitantes, quin plurimi fideles hacce Christiana intentione intellecta erga miseros & afflictos captivos in dira Turcarum & Tartarorum servitute gementes,

1712.

omnique solatio & spe libertatis destitutos compassionem dulci charitativam opem & subsidium lubenti animo sint collaturi. Hinc universos & singulos, quos supra, signanter vero Ordinarios Episcopos & Diaconos ubique in praebito Regno Nostro Hungarie & Partibus eidem annexis constitutos & existentes, prout & eorundem Vicarios, Archidiaconos, & Vice-Archidiaconos harum serie benignè requirentes, iisdem etiam committimus, & mandamus, quatenus prefatum captivorum Redemptorem P. Josephum a IESU Maria (cujus religiosa integritas, atque singularis erga Redemptionem & liberationem præreceptorum afflictorum captivorum zelus & desiderium Majestati Nostra cognita sunt) non solum ubique locorum in praebito Regno Nostro Hungarie, Partibusque eidem annexis tute, securè, & absque omni impedimento, aut molestia se, morari, transire, ac redire permettere debeant, verum etiam eidem, ac ipsius in hoc pio opere ex antelato sacro Ordine Successori ad competentem eorundem insinuationem pia, ac salutari: eleemosynæ auxilio prædeclaratum in finem tam ipsiusmet adesse, quam etiam, ut idipsum per alios quoque tanto alacrius fiat, in publicis cathedris per subalternos sibi Parochos & Concionatores promulgari, & fidelem populum superinde efficaciter adhortari velint, & neque diu quenquam extraneum, qui nimic in Hereditariis Regnis & Provinciis nostris non resideret, ad hujusmodi eleemosynas colligendas, sed unicè per antelatum sacrum Ordinem deputatum P. Josephum a IESU Maria, ejusque, uti premissum est, hoc in munere præreposito sacro Ordine Successorem pro veris pia in Redemtionem Christianorum eleemosyne Collectoribus agnoscere, minus vero alios admittere velint. Executuri in eo rem Christiana charitate dignam, & DEO imprimis gratam, nobisque etiam benignè exceptam. Presentibus perfecti exhibenti restituti: Datum in Regia Arce Nostra Posoniensi die septima mensis Junii Annis Domini millesimo septingentesimo duodecimo. Regnum nostrorum Romanorum primò; Hispaniarum nonò; Hungarie vero & Bohemia & reliquorum secundò.

Carolus

(L.S.)

comes Nicolaus Illeszaij.

Ladislau Huniady.

LXXXII 2

IV. 1.

1712.  
Actus Secundus  
Pro Principatu  
Transilvanie.

Mandatum  
Celleum  
observari  
jussum.

**IV.** In simili forma aliud Diploma, die decima quarta Maji anni sequentis, nomine Principatus Transilvanie promulgarunt. Neque fructus omnino. Eminentissimus enim & Serenissimus Christianus Augustus Cardinalis de Saxonia Strigonensis Archi-Episcopus & Jaurinensis Episcopatus Administrator jussit confititum hæc Cæsaræ Decreta in suis Dioecesibus observari, eisque perpetuum robur & stabilitatem addidit. Hunc pari zelò fecutus est Americus e Comitibus Esterhazy, Zagrabienfis Episcopus, quod & idem fecissent, vel adhuc, si esset necessarium, reliqui facerent per Regnum Ecclesiasticum Praefulges. Cardinalis vero de Saxonia ad omnes Ecclesiasticum Rectores in utraque sua Dioecesi sequentes litteras scriptis:

*Auctoritate Nostra Archi-Episcopali & Episcopali Ordinarii omnibus & singulis tam Secularium per Archi-Dioecesim Strigonensem, & Dioecesim Jaurinensem, aut alias ubicanque per inclitum Hungaria Regnum & Provincias eidem annexas Nobis immediate subiectiarum Ecclesiasticum Rectoribus presentium per vigorem committimus, & commendamus, quatenus omnes & singuli eorum, quandoconque uberiorius intus expressatum Clementissimum Sacratissime Cesareae Regiae Majestatis Decretum in originali, vel in partibus ad eosdem percurrentibus, aut iisdem exhibitum fuerit, ab hisce per omnia conformiter, ac intus nominato Redemptori captivorum Religioso P. Josepho a Jesu Maria Ordinis Discalcedonum Sanctissima TRINITATIS, vel ejus in hoc Ordine Successori, iamquam veris pro colligendis in redemptionem captivorum Christianorum eleemosyna Collectoribus omnimodo assistere, atque iacti ju, ac salutari eleemosyna auxiliò tam ipsimes adesse volint, quam etiam, ut idipsum per alios quoque tantò alacrius fiat, in publicis cathedris promulgari, ac fidelem populum superinde efficaciter abhortari faciant. Datum in Monasterio Thall die 3. Septembris anno 1712.*

*Cardinalis de Saxonia Archi-Episcopus Strigonensis.*

*Super presenti-  
ta reflexio,*

**V.** Evidenter his litteris improborum hominum cupiditas & sufflaminata videri poterat, malum tamen propterè minus evulsum fuit; nostrà enim incuria per omnes hereditarias Provincias & urbes Imperiales quotidie magnò numerò vagantur hujusmodi nummi-positi veteratores, qui pro redimendis captivis eleemosynas corradiunt. Inde & quosdam deprehendimus, qui id nostris millos impudentissimè mentiebantur; certè quidam Viennæ non pridem ideo ad questionem duxus, & falsi convictus, a Magistratu pro merito punitus fuit: cui malo nisi vigilantius occurratur, fraudibus & imposturis perpetratis latissimus aperitur campus. Contigit subinde, ut, cùm P. Redemptor pro elibe-

eliberandis captivis stipem ostiatim corrogaret, ubique fere non sine indignatione audire deberet, alios jam adfuisse, qui eleemosynam in hunc finem accepissent. Illos autem æruscatores vel unicum redemisse captivum nunquam explorari potuit, satis tamē compertum habemus, quosdam eorum male parta pecuniā rem familiarem auxisse, pauperes verò captivos in sua servitute reliquise, donec nostri advenissent, & pretium persolvissent. Vetus hæc est Ordinis nostri querimonia, ut prolixè testantur Bulle Pontificiæ, in quibus videre licet nostros jam sub Gregorio IX, Summo Pontifice anno millesimō ducentesimō vigesimō octavo de hujusmodi impostoribus apud Apostolicam Sedem fuisse conquestos ac impetrâsse sequentes litteras :

*GREGORIUS Episcopus, Servus Servorum DEI. Dilectis  
Filiis Ministro & Fratribus Ordinis Sanctæ TRINITATIS & capti-  
vorum salutem & Apostolicam Benedictionem.*

*Ex parte vestra fuit expositum coram nobis, quod nonnunquam  
filii hujus seculi se lucis filios mentientes ausu nefario falsant habi-  
tus vestri signa, que abusivè gestantes, dum propriis quaestibus in-  
hiant, Ordinem vestrum faciunt blasphemari. Ut igitur in sua  
comprehensi astutia confundantur, capiendi & detinendi hujusmodi  
falsarios auctoritate vobis presentium concedimus facultatem. Nul-  
li ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis in-  
fringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc at-  
tentare presumperit, indignationem omnipotentis DEI, & Beato-  
rum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Da-  
tum Perusia tertio Idus Augusti Pontificatus nostri anno secundo.*

### C A P U T III.

#### Nostrī Cœnobii Tyrnaviensis initia.

**C**elebrioribus Hungariæ urbibus meritò accensetur Tyrnavia Tyrnavia Topographia. Liberæ Regiæque civitatis titulô decorata. Hæc spectabi- li mole assurgit secundum Albi Montis latera in loco plano & a- mœno, quem amnis Tyrna suis undis irrigat, a quo & nomen suum desumpsit. Alii Spinopolim urbem appellitandam censem vocis affinitate industi, quod apud Sclavos Trny spinam signifi- cat; vel quod olim ea circùm loca spinis obsita horruerint. Huc respexit quidam Academicus Poëta Tyrnaviensis, quando cecinit:

*Sentus ager multo navi sudore coloni,  
Scilicet, in fruges erudiendus erat;  
Vepribus borreabant late loca: non ibi gressum  
Figere seu Oloris, seu fuit ausa Ceres.*

Hæc itaque civitas sex propè leucis Posoniô distat, & duorum fe- rē dierum itinere Illavia, ubi Ordo noster alterum asceterium obtinet: frequens proinde nostris Posoniô Illaviam, aut Illavia

1712.

Eadem quere-  
la anno 1228.  
mota fuit.

M m m m m m Vien-

1713.  
Centenario  
civitatis

Cœnobita.

Ecclesia SS.  
TRINITATIS

Festus. sed  
petilio ad Car-  
dinalem re-  
mittitur.

Dilectorum  
proposito.

Bellum ex fa-  
testinis moti-  
bus erit.

Viennam tendentibus transitus est: atque ob hanc causam pridem optaverat Ordo noster, loci celebritate illectus, in hac urbe domicilium figere; nam præterquam quod civum & nobilium sedibus abundet, sedem etiam præbet post occupatum a Turcis Strigoniæ Metropolitanæ Strigonensis Ecclesiæ Canonicis, ornatur que celeberrimò scientiarum Athenæo, cui adhærent quatuor Clericorum, studiis vacantium, domicilia, & prætereà aliud nobilium juvenum educationi destinatum. Religiosorum autem cœnobitis pluribüs indigebat civitas; nam præter S. Clare Virginum parthenonem, qui publicis usibus nihil commodat, nullum in hac civitate visebatur cœnobium, nisi Collegium Patrum S. J., Conventus Patrum Franciscanorum & Collegium Patrum Ordinis S. Pauli primi Eremitæ: ultimus Magistratus Tyrnaviensis fanum, Helveticæ Confessionis aseclis erectum, tradiderat, quod cum vicinis aliquot ædibus incolunt, que tamen omnes in regularem domum, insigni structurâ conspicuam, jam transierunt. Remanserat adhuc in platea S. Jacobi Apostoli alterum illi simile olim Augustanæ confessionis fanum, a Sanctissima TRINITATE nuncupatum, ast pridem desertum & raine proximum: ad hunc locum pertinebant duæ vicinæ domus, medie, ut vocant, Sessionis cum duabus vineis, atque aliis paucis latifundiis. Situs penes Ordinis Minorum S. Francisci Sodalium Monasterii septa, licet exiguus, attamen pro aliquo struendo cœnobiolo sufficere videbatur.

II. Ergo P. Martinus ab Ascensione Commissarius Generalis, dum hujus saeculi anno tertio Illaviæ Posonium rediret, Tyrnavia subiicit, & Ecclesiam Sanctissimæ TRINITATIS ab inclito Magistratu nobis donari postulavit. Sed responsum tulit, hanc petitionem prius Eminentissimo Cardinali LEOPOLDO a Kollonica Archi-Episcopo Strigonensi proponendam esse. Huic admonitioni Pater obsecutus iter continuò Viennam acceleravit, multumque de veteri favore Cardinalis Archi-Episcopi confisus, eundem humiliiter obsecravit, velit ulterius Ordinis propagationi benignè favere, suaque auctoritate efficere, ut pro latius excolendo Redemptionis captivorum Instituto Ecclesia Sanctissimæ TRINITATIS sacræ Religioni nostræ a Magistratu Tyrnavensi conferatur. Votis quidem Patris aperte non abnuit Cardinalis, ne, ut erat alius sacri Ordinis nostri studiosissimus, tam piis precibus obniti videatur, aut certè, ne arcana pectoris sui consilia, que de hoc loco prius jam suscepserat, intempestivè propalaret. Itaque breviter supplici significavit, Reverendum P. Gabrielem Hevenelium Societatis JESU Virum, sibi a sacris confessionibus, convenient, atque eadem de re cum illo tractaret. Fecit actutum Pater, quod iustus erat: verum ex collatis sermonibus non obscurè intellectum desideratum pro Clericis educandis, quibus Regnum Hungariae multum adhuc egebat, destinari. Exinde Pater ipsem omnem abjecit, cui propositum erat, nihil in præjudicium aliorum aggredi, nec alterius consilia evertere.

III. His actis post modicum tempus intestini suborti sunt animorum in diversa motus, qui in aperatum bellum prorupere, &

& diu multūmque universum Hungarie Regnum fatigaverunt : abrogata igitur veterum legum Religione Lutheri affecte olim amissum suæ sectæ fanum sui similium favore adjuti recuperavere ; hinc utrinque spes omnis loci potiundi decollavit. Transivit interim fere novennium, dum sedatis tumultibūs & proscriptis simultatibūs pax longō postliminiō Hungariam revisit, cunctosque indigenas ad debitam reverentiam Majestatis revocavit. Tunc idem P. Martinus ab Ascensione, cui ob temporum injuriā tertia jam vice Commissarii Generalis officium confirmatum fuerat, e-  
mortuus veteranum consiliis, aliisque enatis circumstantiis nihil cun-  
ctandum ratus omissem diu causam tentavit resuscitare ; præser-  
tim quia Iustranti cœnobium Illaviense, bellorum rabie miserè  
diréque foedatum, innotuerat Lutheri mystas memoratō loco a Ma-  
gistratu Tyrnaviensi rursum privatos fuisse. Itaque anno hujus  
seculi undecimō iterum Illaviā redux sexta decima die mensis De-  
cembris Tyrnaviæ substitit, tentaturus, si quid cum bono DEO  
posset efficere. Et imprimis quidem Metropolitanæ Strigonien-  
sis Ecclesiæ Canonicis in Ecclesiastico suo Consilio, Consistorium  
vocant, congregatis mentem suam & propositum aperuit, eisdēm  
que pro supradicti templi & sitūs donatione supplicavit : cui Re-  
verendissimi Domini Canonici responderunt, se quidem Ordini  
sacro impensè favere, verumtamen potestate hujus loci confe-  
rendi non penès se, sed penès civicum Magistratum esse. Hoc  
auditō rogavit P. Commissarius Generalis eosdem Reverendissi-  
mos Dominos, vellent suam apud civicum Magistratum interpo-  
nere auctoritatem, Ordinique ad hunc finem consequendum veli-  
ficari, quod illi etiam liberaliter promiserunt, operāmque suam  
in tam pia causa promovenda nobis propensa voluntate addixe-  
runt. Neque segniūs egerunt, quām spöonderant ; consilio enim  
initō an Ordinis patrocinium scriptis, an verbis suscipiendum es-  
set, elegerunt postremum, & eadem adhuc die finitō Consistoriō  
duos de suo gremio viros Reverendissimos ad civicum Magistratum  
ablegarunt, qui rationibūs efficacissimis, quas eis zelus pro domo  
DEI suggererat, ac verbis aptissimis Senatum ad Ordinis favorem  
inclinārunt. Illos Pater infactus Judici e Prætorio prodeunti  
obviam venit, eidēmque supplicem libellum tradidit. Respondit  
ille, constare sibi votorum summam, laudatam fuisse, ac com-  
mendatam a Reverendissimis Dominis Canonicis, multūm quoque  
sibi placere sacri Ordinis Institutum, nunc autem rem expediti  
minimè posse, cùm ad hujusmodi negotia decidenda non Senato-  
rum duntaxat, sed & omnium pariter civium suffragia requiran-  
tur, qui cùm ob instantia festa nati CHRISTI, sub quorum de-  
cursu & aliquantō diutius tribunalia omnia justitium observant,  
convocari tam promptè non possint, consuluit Patri, ut sequen-  
te mense Januario vel ipse reverteretur, vel alium Religiosum sui  
Ordinis cum potestate hoc negotium prosequendi ablegaret.  
His perceptis Pater in spem assurrexit majorem, & amplius Or-  
dinem inclito Magistratui commendavit. Accidit hoc die decima  
septima Decembris, qua apud nos anniversaria recolitur memoria

1712.

Secunda pace  
causa refusi-  
tarum.Domini Ca-  
nonici in pa-  
trocinium ve-  
catur.Qui nostram  
causam urge-  
te primi fu-  
scipiat.Ad supplicem  
libellum Judi-  
cis respon-  
sum.Acta sunt hæc  
17. Decembris  
anno 1712.

1712. obitus Sancti Patris Nostri JOANNIS de MATTA non sine felicitate omnino rei bene gerendae.

P. Emmanuel  
busca eam  
Procurator ip-  
sae.

Cardinalis  
Archiepisco-  
pum Peter se-  
mili.

De instan-  
de Comarom-  
iensium Funda-  
tione agitur.

Negotium  
Tyrnaviensis  
tabulariatur.

Veniam fa-  
culta Tyrna-  
vienis opera  
advocatur  
prostria.

Tyrnavienis  
sodium reges-  
tor. & in se-  
nato denun-  
ciatur.

IV. Relicta proinde Tyrnavia P. Commissarius Generalis Posonium contendit, & ex coenobitis illius conventus P. Emmanuel a S. Maria pro hoc urgendo negotio delegit, eidemque cum mandatorum instructionibus plenam agendi potestatem commisit: neque tamen diu Posoniū desedit, sed ut plura huic cause adminicula pararet, dicto P. Emmanuele in locum assumpto ad coenobium Beatissime Virginis MARIAE Thallensis, duabus circiter leucis Posoniō remotum, quod Patres Ordinis S. Pauli primi Eremitae incolunt, citato itinere perrexit, ut Eminentissimum Cardinalem Archi-Episcopum Strigonensem, animi colligendi gratia ibi crebrius versari solitum, conveniret. Singulari benignitate ibidem a Cardinali excepti fuerunt; erat enim piissimus Princeps Religionis nostrae amantissimus, & in promovendis piis operibus admodum studiosus. P. Commissarius Generalis magna submitione ac reverentia ei exposuit, pacata nunc universa Hungaria sibi tempus opportunum videri, quod juxta mentem pie defuncti Episcopi Nitriensis Foundationi Comaromensi manus tandem ad moverentur: hōc præmissō sermonem ad petitam Tyrnaviae Sanctissimæ TRINITATIS Ecclesiam sensim deflexit, breviterque recessis emolumentis tum Regno, tum Ordini exinde accessus Eminentissimum Principem obsecravit, ut sua etiam auctoritate hanc causam fulcire dignaretur. Princeps ad utrumque faventissimis verbis respondit, sumique patrocinium haud gravatè promisit, monuit tamen, prius Cœlarem esse adeundum, ejusque assensum impetrandum, quod accepto nihil in se desiderari passum, quod ad desideratum finem conducebat. Aliis deinde testimoniis in medium prolatis, finitisque Patres petitā abeundi cultate post plurimas Eminentissimo Principi pro receptis favribus persolutas gratias hæti & solatiō pleni Posonium repetierunt.

V. Cum jam propriis instarent nati CHRISTI Festa, P. Commissarius Generalis iter Viennam acceleravit, ut, quod misericordia ratio postulabat, plura praesidia conquereret ad statuminandam nostram caulam Tyrnavensem, atque in hunc finem heteras ab Excellentissimo Comite Nicolao Illeshalio Regni Hungariae Cancellario, dudum Ordini nostro additissimo, aliisque viris summis, itidem nobis amicissimis, impetravit, que Ordinis Institutio Tyrnaviencibus magis redderent commendabile. Itaque P. Emmanuel Procuratoris charactere auctoratus, atque non paucis Optimatum suffultus litteris Tyrnaviam se contulit, & ut cœperat ibidem negotium feliciter celeriusque promoveret, alterum implicem libellum concepit, in quo sue petitionis causas, ac praeterea subidia & emolumenta civitati ex sacro Ordine obvenienti inelyto Magistratui exposuit. Magistratus, ne quid in hoc negotio perperam committeretur, omnes Senatores & Cives Tyrnaviensis, prout in decernendis rebus majoris momenti fieri solet, ad prefectorum convocavit. Statuta die petitio Patris in medium profertur, causæ petitionis exponuntur, indicatis etiā suorum

virorum titulis & nominibus, qui Ordinis desideria suis patrocinis fulciebant. Dum de re proposita consultationem ordiuntur, pre foribus (ut ajunt) enata est contradicatio, que scriptis comprehensa, postquam ad Senatum pervenisset, omnes redditit attulitos, & cooptum actum interrupit.

1712.

Praecepit senat  
us maxima.

XL. Non tamen hic sibi defuit P. Emmanuel, sed adversariorum objectiones in arena sapienter diluit: ast quamvis omnibus ille aptè responderit, re tamen infecta coactus fuit excedere. Vulgabantur haec subito per omnes urbis viros & compita, & licet multi nostrae pretensioni adverfarentur, velut frequenter in his usuvenit, ubi vulgus studiis & religione in diversa factiones scinditur, attamen in favorem nostrum major meliorque pars civitatis inclinare videbatur. His igitur in rebus afflictis cautibus deinceps de opportuno remedio prospiciendum erat, & quamvis de congreganda denuò civium communitate non tam citò aliquid Pater speraret, cum hujusmodi conventus perraro & nonnihil in gravibus Reipublicæ negotiis indici soleant, spem tamen minimè abjecit: ceterum ne irritatos animos in recenti prefertim vulneri sensu amplius exulceraret, tempori nonnulli certe secrevit, donec adversariorum fremitus paululum detumulierit.

Respondens  
contradic-  
tione.Ex causa in  
alio tempore  
diffinita.

VII. Ultra mensēm pressa causa nostra prudenti silentio tegebatur, dum interim fautores nostri ex priore periculo cautiores effecti alia circumspectare confilia cooperant. Enītuit hic singulariter in protegendo nostro Ordine Reverendissimi & Illustrissimi D. Gabrielis ex Comitibus Erdödii Strigonensis Metropolitane Ecclesie Prepositi Majoris induitria, qui, ut nostram causam reficeret, ad ædes suas invitavit Judicem cum præcipuis Senatoribus. Comparuerunt itaque tanti viri auctoritati morem geruti, quos cum comiter excepisset, sermonem ultro ad præfens Patrum Trinitariorum negotium convertit, videlicet quosdam hujus civitatis indigenas immerito viris optimis adversari, quorum exemplaris vite conversatio, & Redemptionis Institutum urbi & Regno tanta commoda conciliare possent: addidit præterea in considerationem adduci debuisse Regni Cancellarium, aliisque Illustrissimos viros, qui Ordinem Trinitarium amant, colunt, protegunt & commendant, illos ergo sine dubio hanc repulsam latus; denique ad mentem reducerent civitatem, & ipsosmet singulos in suis tum publicis tum privatis causis magnorum virorum egere patrocinis, illos autem omnino memores futuros, & aliquando cum foenore compensaturos, quidquid in Ordinem Trinitarium sine vel injuria contulissent. Sanandum igitur esse, quod privata sua corrupserint, non minus id fore Senatui gloriosum, quam civitati proficuum. Judex & Senatores, ut erant viri perspicaces, facile advertebant, quorsum haec collimarent: magna igitur sub missione reposuerunt, se suis partibus non defuisse, nec penè culpam residere, quod nupernum scrutinium in causa Patrum Trinitariorum sperato successu caruerit, se magni, ut qui plurimum, facere Excellentissimi Cancellarii, aliorūque Magnatum commendatis epistolas, nihil sibi antiquius esse, quam eorum desideriu-

Prædictio Ma-  
gistris  
hospitiis  
urgente casu  
in ordinem  
missum.Bibliothe-  
ca patri-  
polis ad judi-  
candum &c. ali-  
quot homines  
res.Exclusio ta-  
ctilis.

Nnnnn

gra.

1712. gratificari: promiserunt continuò, se proximè Senatum & Com-  
munitatem civium rursus convocaturos, eisdémque rei moner-  
Congregatio  
communicatis  
benignitas de-  
cermis.  
tum exactius declaraturos. Diictum, factum. Convocatur denun-  
civica concio, quà congregatà supplex libellus P. Emmanuelis i.e.  
rum publicè perlegitur, rationes proponuntur & examinantur,  
animis in favorem inclinati annuant capita, nemineque contra  
hincere auso, consonis suffragiis decretum fuit, Ecclesiam Sanctissimæ TRINITATIS Patribus Trinitariis de Redemptione capti-  
vorum esse tradendam, dummodo jus eam possidendi Patres a  
altioribus Potestatibus impetrarent a Cardinali videlicet, Archi-  
Episcopo, & vel maximè ab Imperatore Rege Apostolico.

Calomonia  
contra Ordin-  
nem spargua-  
tur.

VIII. Confectum jam negotium esse videbatur, dum ecclesi-  
adversarii, qui Senatus - Consulto & Plebis - Scito aperte refraga-  
tri non præsumebant, ad clancularias technas conversi emissario-  
rum operâ per civium domos spargebant, dolendum esse, tam si  
volè bonos & futurorum improvidos cives circumveniri, & non  
maturè occurratur, actum esse de Liberae Regiaeque civitatis Ty-  
naviensis Privilegiis & Libertatibus; nam cùm, ut illi dicebant,  
Patres Trinitarii sint admodum opulentii, pecuniis, quibüs abu-  
dant, jura & possessiones civium sibi vendicabunt, tenuiores os-  
seratos habebunt pro servis, omnia, quæ poterunt ad se trahere;  
Ilos autem ingentes possidere divitias testantur fabricæ monasti-  
riorum, id ipsum ostendit tanta utriusque sexus hominum mi-  
tudo, quos magnò pretiò a Turcis emunt, ut subditorum scu-  
rum numerum augent. Verùm hæ calumnia fallitatis facile con-  
vincuntur; redemptorum siquidem captivorum quisque non am-  
plius servus est, sed liber in patriam suam mittitur, ut quotidiana  
docet experientia. Evidem non eo inficiās, multos a nobis  
Respondens  
Calumniam.  
Christianos captivos assidue redimi, nego tamen, nos idcirco ei-  
se aliis Religiosorum Ordinibüs opulentiores, quinimò vel ex hac  
ipso Redemptionum affiduitate prudens quisque concludere deci-  
ret, nos esse cæteris multò pauperiores, cùm tam sumptuosæ ex-  
peditiones nobis (qui tertiam partem eleemosynarum pro nostris  
sustentatione corrogatarum detrahere, eamque in captivorum Re-  
demptionem impendere tenemur; ab eleemosynis vero Senati  
pro Redemptione captivorum oblatis ne obulum in nostrum  
commodum derivare possumus) domesticum peculium effor-  
rant, opésque in multis usus sufficiencias absument. Ad eundem  
planè modum immeritò nobis structurarum magnificentia colitur;  
illud enim quod decori Domus DEI & murorum nostrorum  
impeditur, nullum paupertati infert præjudicium, sed potius ex  
ipso paupertatis præscripto erogatur, cum hac ratione impedi-  
bus aliis innumeris occurratur, qui in frequentiorem ædium Re-  
demptionem profundendi fuissent; pauciores enim expensas i.e. sa  
edificii alicujus structura, quam perpetua parietum restauratio  
abligurit. Cæterum vellem, considerarent illi Ordinis nostri pau-  
pertatem in viatu, in vestitu, in Religiosorum cellulis, profecto  
vix alibi vel certè nullibi majorem reperient.

Tertia pars  
eleemosyna-  
rum pro cap-  
tivis.

Militia pro  
paupertate  
Religiosorum  
cellularum.

Allie calom-  
nia.

IX. Nec satis illa fuere, insuffranc etiam, ut invida, qui

Siculi non invenero tyranni tormentum majus, cives inflammat, patres Trinitarios minimè futuros contentos illis domibus ad Ecclesiam spectantibus, cum eae paucae sint & exiguae, sed manus vicinis ædibus injecturos, easdemque protinus occupaturos. Non abnuo quidem, nostros, si necessitas postulasset, ut nimirum decori domus DEI consuleretur, aut debita sacris locis reverentia affereretur, propinqua domicilia sibi adjuncturos fuisse, nullà tamen violentiâ, sed conventione & parato ære. Argutabantur ulterius; nostros, si Tyrnaviae pedem figerent, vineas, agros & fundos, prænumeratō pretiō civibus in necessitate constitutis, qui subinde agellum aut vineolam vendere cogentur, coempturos, quis autem deinde eis tam potente Magnatum præsidio fultis prohibere posset, ne secundum domorum jura & civium libertates vinum per mensuras educillent, sive ut latinius dicam, caponentur, macella instituant, carnes vendant, quæstum tandem omnem pro maximo civium præjudicio ad se pertrahant, & quæ aliæ sunt ejusmodi frivole objectiones, aut si mavis, chimæræ. Tantum enim abest, ut nostri unquam de hujusmodi rebus cogitaverint, quantum a Religioso distat Iansonem aut cauponem agere. Nunquam sanè tales fordes inter nostros visæ fuerunt; verum hæc omnia ficta sunt ideo, ut tristem in nos cuderent fabam. Et rapte hujusmodi terriculamentis cives adeò perculsi fuerunt, ut adversus Ordinem nostrum nasceretur murmur, quod ad aliquos etiam Senatores grassabatur, qui jam multum a pristino suo erga sacram Religionem nostram studio remittebant, aut certè pœnitentibant, quod majoribus cautelis libertates & privilegia sua non præmanivissent.

X. P. Emmanuel auditis malevolorum dictiis, & obtrectationibus statim vidit, ex qua radice hujusmodi discordiarum zizania pullularent: ut itaque pernicioſa hæc lolia in ipso confestim ortu succideret, sparsasque calumnias maturimè refelleret, alium supplicem libellum inclyto Magistratui Tyrnavensi porrexit, in quo post actas amplissimo Senatui gratias ob indubiam spem nuper datam obtainendæ Ecclesiæ Sanctissimæ TRINITATIS ab Ordine nostro petitæ, modestè deinde citra alicujus suggillationem aut reprehensionem conquestus est, varias suspiciones in vulgus sparsas fuisse, quasi facer Ordo noster contra Privilegia hujus Liberæ Regiæque civitatis quæstum intenderet exercere in grave civitatis ejusdem præjudicium: unde, ajebat, sibi necessitatem impositam fuisse, cives hoc scripto securos reddendi, sancteque pollicendi, nihil horum unquam ab Ordine nostro tentatum esse, nec ullo deinceps tempore tentatum iri, quinimò eum potius daturum operam, quantum per se cum DEI gratia fieri poterit, ut civium iura non minuantur, sed magis augeantur, eorumque libertas salva semper ac inviolata perseveret. Addidit prætereat sacram Religionem nostram temporalibus non inhiare, spiritualibus unicè intentam, quæ cunctis liberaliter esset communiciatura. Demum alia spondit civitati commoda & emolumenta, tandemque conclusit, se sperare inclytum Senatum pro sua

Iisdem re-  
spondet.

Suspicionibus  
obviam itur.

1712. sapientia relegatis omnibus sinistris suspicionibus Ordinem in pri-  
stino favore conservaturum. Quae ut sincerè prolata, sic & gran-  
di Magistratūs approbatione recepta fuerunt.

Patri suos  
addidit.

Favorabile Se-  
natus Rescri-  
ptum.

XI. Interea P. Ferdinandus a Sanctissima Trinitate, qui Po-  
sonii Quadragesimæ tempore conciones in Ecclesia nostra ad po-  
pulum hōc annō habuerat, a P. Commissario Generali mandatum  
acepit, ut post ultimam suam concessionem ad P. Emmanuelē se  
statim conferret, ejusdēmque socium Tyrnaviæ ageret. Paruit  
ille exemplō, atque adeò die vigesima tertia mensis Martii Ty-  
naviam convolavit. Feriā quartā post Dominicam Resurrectionis  
Senatus iterum in Prætorio congregatus nostram causam solertiūs  
examinavit, rebūsque omnibūs accuratè perpensis sequens in  
Ordinis favorem rescriptum edidit :

*Introscripta Instantia tum intuitu Dominorum, eorumque ma-  
gnorum sacri Ordinis Patronorum interpositionis & recommenda-  
tionis eatenus factæ, tum etiam ex affectu amplissimi Senatus &  
Communitatis Tyrnaviensis, quō erga eundem sacram Ordinem, vel  
ob titulum Redemptionis captivorum feruntur, in favorem Reve-  
rendi Patris Instantis rescribitur, petitum templum cum ei annexis  
duobus fundis media sessionis, intronotato sacro Ordini tradendum  
esse, decerniturg, si admodum Reverendus Pater Generalis prescripti  
sacri Ordinis Commissarius conditiones a civitate Tyrnavensi ap-  
positas, manibus Reverendi Patris Instantis consignatas acceptave-  
rit & ratificaverit, easque sub Sigillo Officii sui & propriæ manus  
subscriptione pro futura antelatæ Civitatis perpetua securitate & af-  
fidatione extra dederit, sicque sacer Ordo apud altiores Potestates  
dandarum superinde civitatis litterarum confirmationem obtinere  
poterit. Tyrnaviae 31. Martii 1712.*

*Ex Senatus Consulto*

*Stephanus Jankovics,  
Liberæ Regiaeque civitatis Tyrnaviensis  
Juratus Notarius.*

Propositæ  
conditiones  
acceptantur.

XII. Conditiones a Senatu propositas actum P. Emma-  
uel, Tyrnaviæ digressus, Vietnam detulit, easque P. Commissa-  
rio Generali exhibuit, ut requisitis solemnitatibus ratae firmæque  
efficerentur, P. Ferdinandu interim Tyrnaviæ remanente, ut, si  
quid noviter emersisset, illud confessim litterarum adminiculò Su-  
perioribus indicaret. Propositæ conditiones a P. Commissario  
Generali visæ consideratæque fuerunt, quas, quia satis adhuc to-  
lerabiles agnoscebat, suo, suorumque nomine lubens acceptavit,  
& propriæ manus subscriptione, ac sigilli officii sui appressione  
confirmavit. His ritè confessis P. Emmanuel Posonium rever-  
sus acta Cardinali Archi-Episcopo protinus exhibuit, eumque  
sup-

Appliciter obsecravit, ut pro totius negotii coronide reliquias ad Coniam Ecclesiasticam pertinentes solemnitates addere dignaretur, quod tamen Cardinalis, qui tunc gravissimis Rei-publice negotiis distinebatur, non statim praefare potuit, sed in aliud commode tempus differre coactus fuit.

1712  
Quæ negoti-  
um à Curia  
Ecclesiastica.

XIII. Interea P. Emmanuel nollâ interpositâ morâ a P. Commissario Generali admissas, ratificatas & confirmatas conditiones Tyrnaviam per veredarium nuncium ad Senatum premisit, ipse vero Posoni diutius remansit apud Cardinalem Archi-Episcopum ceteras requisitas Ecclesiastice curie solemnitates ad electum perduxit. Interim Tyrnavie pridie Kalendas Maii P. Ferdinandus, nihil minus cogitans, a Reverendissimo & Illusterrissimo Metropolitanâ Strigonienis Ecclesie Vicario Generali D. Ladislao Piier, Electo Episcopo Amisieni, jubebatur ad prioreniam Sanctissime TRINITATIS Ecclesiam migrare, ibidemque usque ad negotii finem habitare, ac templum in sacris munis administrare: ad ex arcana Cardinalis Archi-Episcopi instructione, an ex propria Generalis Vicarii auctoritate processerit, hactenus compeniri non potuit, neque nostrum fuit investigare. Quidquid autem de hoc sit, Pater Ferdinandus certè sine mora libenter praefuit, quod iussus fuit, paucis rem advertentibus. Primitus diebus idem dum in rebus ad DEI cultum disponendis occupatus, Germanicae Nationis Parochus eundem Patrem acceptis, petitique, ut quinta mensis Maii, quâ festum Dominice Ascensionis eò anno celebrabatur, in Metropolitanâ Templo concionem ad populum haberet; id muneric Pater in se libenter suscepit, ac die dictâ, homine consuetâ, quod rogatus erat, cum auditorum plausu praefuit; primus nostrum, qui Tyrnavie e soggetto DEI verbum ad concionem proposuerunt.

Interim acci-  
si fuerat ne-  
goti nobis al-  
most fructuosa  
concessione.

Quæcunque  
miseratur.

XIV. Exinde jacchatis sermonibus statim patuit, quo in statu nostra versaretur; nec enim diu latere potuit: hinc adversarii invidiâ perciti alias atque alias adversus Patrem cooperunt architectari machinationes, ut quocunque modô eundem ab Ecclesiæ administratione depellerent. Igiter sebornati quidam Generalem Vicarium & urbis Magistratum accedentes varias expulerunt querelas. Verum non auditi nihil adversus innocentem efficere valuerunt: quinimò Magistratus tot criminationum & querelarum pertulit, ut tandem negotium decretoriè decideretur, prefertim quia confessis titè tabolis petitas conditiones ratis confirmatasque obtinuerat, nec quidquam amplius ad posterorum cautelam reservandum occurrebat, die decima octava mensis Maii ad Cardinalem Archi-Episcopum proprio motu litteras dedit, in quibus devote ac reverenter exposuit, se Patribus Trinitariis Templo Sanctissime TRINITATIS in via S. Jacobi cum Jure Patro. natus in perpetuum cessisse, quamobrem se oppidò desiderare, ut sua Eminentia iisdem Patribus de plenitudine Archi-Episcopalnis Potestatis eundem locum pro struendo coenobio afferere dignaretur. Dici vix potest, quantum haec Magistratus epistola momenti attulerit ad nostram causam maturandam: Sancte Cardinalis

Quæcunque  
miseratur.

Magistratus  
per litteras  
nihil unum  
per responsum  
apud Cardina-  
lem.

Oooooo

Archis.

1712. Archi - Episcopus, omnésque alii ferventius deinde huic negotio consummando incubuerunt, & citius, quām ipsi opinabamur, Emi-  
nentissimi Ordinarii facultas fundandi Tyrnaviæ cœnobium est  
imperata sequenti conspicuo Diplomate:

*Cardinalis  
Archi-Episcop-  
pi facultas  
fundaadi.*

*NOS CHRISTIANUS AUGUSTUS DEI GRATIA S. R.  
Ecclesie Presbyter Cardinalis Archi-Episcopus Strigoniensis, sacrae Se-  
dis Apostolice Legatus Natus, Primas Regni Hungarie, ejusdēm  
que Summus Cancellarius & Secretarius, Comitatus Strigonensis  
Supremus & perpetuus Comes, Episcopatus Faurinensis Admini-  
strator, Dux Saxonie, Julie, Clivi & Montium, etiam Angarie  
& Westphalie, Landgravius Thuringiae, Marchio Misnie, superioris  
& inferioris Lusatiae Comes, Princeps Hennebergensis, Metropolita-  
na & Electoralis Ecclesie Coloniensis Prepositus & Thesaurarius,  
Comes Marchie & Ravensbergae, Dominus Ravenstenii, Ballivus  
Thuringensis Locumtenens, Sacra Cesareæ, Regiæ Majestatis Con-  
siliarius Actualis intimus &c. Memoriae commendamus tenore  
præsentium significantes, quibus expedit, universis, quod, dum in-  
ter cetera Misericordiae opera, ea præsertim promovere pio ac fer-  
ventiori Divini Numinis afflatus stimulamur, que CHRISTI Re-  
demtoris Nostræ, in terris versati, imitationem magis commendant,  
sueq; ineffabilis charitatis orbi redempto exhibet & promptius referunt  
specimen; illud haud obscure præ ceteris Reverendos Patres Ordini-  
nis Sanctissime TRINITATIS Discalceatorum de Redemptione cap-  
tivorum (qui ab Antecessoribus nostris bone Memoriae Archi-Epi-  
scopis Strigonensis ad Regnum Hungarie legitimè fuere introiun-  
cti) redimendo ex dira truculentorum Christiani Nominis hostium  
captivitate detentos miseros Christianos pauperes juxta sacri Ordinis  
sui Institutum, cum totius populi edificatione & solatio, dedisse &  
præstitisse contemplati simus. Quapropter, siquidem iidem Religiosi  
Patres tam grande bonam ulterius & commodius in hoc Apostolicum  
Hungarie Regnum per Domorum & Monasteriorum suorum multiplicatio-  
nem diffundere cupientes nobis humiliter supplicarint, quatenus in  
Libera, Regiæ civitate Tyrnavensi illis facultatem se fundan-  
di de nostra autoritate impertiri, Ecclesiæque Sanctissime TRI-  
NITATIS ibidem, quam ejusdem Libere, Regiæq; civitatis Sena-  
tus sub suo hactenus Patronatus jure habuit, & nunc ex speciali  
erga dictos hōsce Religiosos Patres affectu hoc Jure Patronatus su-  
in perpetuum cedendo iisdem Patribus assignari, ac iis in perpe-  
tuum conferri & concedi, prout idipsum a nobis specialiter ac de-  
bitè idem Senatus sub dato 18. Maii anni currentis expetit,*

*dej*

desideraret concedere, omnino ac conferre de plenitudine Archi-Episcopalis nostra potestatis dignaremur. Nos igitur re in condicione respectum, maturamque considerationem sumpta, votis eorum eo, quò possumus, meliori modo annuendum omnino duximus, ideoque præmissò più eorundem zelo, & pro bono etiam publico hujus præsertim Hungarie Regni, tanquam totius Christianitatis Antemuralis, continuisque bellorum cum naturali hoste Turca vicissim inibus, vastationibus & captivationibus primùm expositi, per quam utili & bactenus necessario redimendorum captivorum Christianorum Sancto Instituto benignè inclinati predictos Reverendos Patres in prefata Libera, Regiaque civitate Tyrnavensi perpetuo se firmare, ac stabilire posse consentimus, imò firmos ac stabilitos videm esse per presentes facimus, ac ipsorum Residentiam, seu dominum inibi de consensu Magistratus ibidem erigendam, vel jam eretam non modo autoritate nostra Metropolitanâ inter reliqua ejusdem civitatis Monasteria deputamus, connumeramus & adscribimus, ac ab omnibus in perpetuum talem reputari, connumerari & haberi volumus, cum omnibus gratiis, privilegiis & exemptionibus, quibus tam in spiritualibus, quam in temporalibus alii Conventus de jure, vel consuetudine gaudere, frui & potiri dignoscuntur, verum etiam dictam Ecclesiam Sanctissime TRINITATIS Tyravia, cuius jure Patronatus, ut præmissum est, in gratiam horum Reverendorum Patrum Iuclytus dictæ Libera, Regiæq; civitatis Senatus in perpetuum cedit, ac cessit, iisdem Patribus omnino damus ac conferimus, & in eorundem Ordinem in perpetuum transferimus, ulteriores etiam cessiones, donationes ac translationes fundorum, sessionum, seu domorum pro habitatione, ac libertatum a Senatu & communitate Tyrnavensi in prefatum Ordinem in speciali desuper inter utramque partem 6. Junii hujus anni erecto scripto fas, ratas & gratas habentes & omni meliori modo confirmamus, sumiter nobis futurum pollicentes affectum & gratitudinem horum Reverendorum Patrum præsenti nostro favori pia & bone inclinationi apud Divinam Bonitatem correspondurum. Dabantur Pojoni in Curia Nostra Archi-Episcopali die duodecima mensis Junii anno Millesimo septingentesimo duodecimo

Cardinalis de Saxonia Archi-Episcopus Strigoniensis.

Ex Mandato speciali Sua Serenissima Eminentia  
Franciscus Gætzl Consiliarius & Notarius Apostolicus.

## C A P U T IV.

*Tyrnaviae Ecclesia Santissimae TRINITATIS  
Ordini nostro solemni ritu traditur.*

*Ad Orationis  
Institutionem  
non se di-  
spensatur.*

*In die di-  
sporum.*

*Audierunt  
ad nos Te-  
pium & Di-  
mum n. profes-  
sorum co-  
dante.*

**L**R Ebus jam omnibus perquam felici successu impetratae te-  
curam omnes & solitudinem deinceps converterunt ad re-  
ganda facta teda, ad conquirenda Ecclesie ornamenta & utensilia,  
ac denique ad habitationem rebus necessariis instruendam, & n-  
formam Religiose domus redigendam, que dum sollicita quidem  
non tamen precipitanter natus curantur, veteres adiutum ilacum  
inquit, Magistratu*m* anuum pro habitationib*m* certum pender-  
soliti, tempus sufficiens habuerunt in urbe pro suis usibus non  
domicilia circumspiciendi, & res suas in otio commode contrahen-  
di, qui tandem omnes ad Kalendas Augusti nobis locum cesserunt.

**II.** Porro indecitus Magistratus confusa solemnitate Religio-  
rum nostrorum introductionem induit ad sequentem Domini-  
cam, que fuit dies septima Augusti, ad quam splendidius obedi-  
dam Posonio ad venerant P. Josephus a JESU Maria Redemptor  
captivorum & predictus P. Emmanuel a S. Maria ejundem negoti,  
prior recenti Procurator. Tamen postquam dies septima Augusti  
illuminet, mane circa horam nonas in Ecclesia Santissime TRIN-  
ITATIS comparuerunt Legatorum nomine ex parte quidem Eminentissimi Cardinale Archi-Episcopi suo Metropolitane Scipionis  
Ecclesie Domini Canonica Joannes Okolczynus & Franciscus  
Ladislau Mednyanskius uterque Electus Episcopus his Catarcia  
ille Noviensis: ex parte vero Libere, Regieque civitatis Tyra-  
viensis duo Senatores Franciscus Piber & Joannes Endreus, non  
cum singuli numerosa clientela & famulorum turma frateri, prae-  
dem etiam populi multitudinem rei novitatem excitari posse tu-  
xerunt, quam cum Ecclesia capere non posset, multi e pieie at-  
guibus loci exclusi extra fines hunc actum spectare habuerunt.  
Circumstantibus igitur ad principem aram in Evangelii lateri La-  
gatu tum Cardinalis Archi-Episcopi, tum Tyreniensis Civitas,  
& iuxta hos Ordinis nostri Patribus confitentibus Illustrissimus  
& Reverendissimus Dominus Franciscus Ladislau Liber Baro Mo-  
dryanskius Episcopus Catarcensis ad circumstantes laicos admo-  
te non minus elegantem, quam eruditum habuit sermonem, n-  
que post Ordinis Institutum prolixè commendatione alta vox in-  
prudentem Eminentissimi Cardinale Archi-Episcopi Diploma ba-  
git, quo ad finem perducendo due claves, una illius Ecclesie, altera  
domus su per argenteam patellam, bombycinis rosei coloris 28  
nolis colligate, nostris Patribus nomine Magistratus solemniter  
tradite fuerant.

**III.** Hanc Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Jo-  
annes Okolczynus Electos Episcopos Noviensis Pontificabilibus orna-  
tus indumentis frequente Ecclesiasticorum Ministrorum turba  
af-

assidente in principe atra Sanctissimum Eucharistie Sacramentum exposuit, Hymnumque Te DEUM laudamus inchoavit, quem gallicorum chorus inter exquisitos modulos ad finem perduxit: Acutum est ibidem Missa Sacrificium de Sancto Cajetano Thiesano Clericorum Regularium Fundatorem, cuius festum eò anno illam diem Dominicam inciderat, sub eius decursu cum a Diacono Evangelium cantaretur, omnes, præcipue ramah, qui memores cogitationes ad præterita tempora & quorundam puerilium nuntiatum reflectebant, tenerissimo cordis affectu delibuti sunt audiens illis ex S. Matthiei Evangelio verbis: Non potestis DEO servire & Mammone. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis anima vestra, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus quam quid es tu? Et corpus plus quam vestimentum? Ropifice vestimenta cali, quoniam non servant, neque metunt, neque congregant in horrea: Et Pater caelis pascat illa. Nonne vos magis plures es tu? Quis autem vestrum cogitare potest alictere ad staturam suam cubitum unum? Et ut vestimento quid solliciti es tu? Considerate filia agri, quomodo crecent: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Samson in omni gloria sua cooptatus est sicut unus ex istis. Si autem famam agri, quod habeo est, Et eras in cibarium missitur, DEUS sic ves- sit, quanto magis vos modice fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus? aut quid operiemur? Hoc enim omnia gentes requirunt. Seit enim Pater vester, quia hunc omnibus indigetis. Quoniam ergo primum Regnum Domini & Iustitiam ejus, & hoc omnia adiunguntur vobis. Absolutè igitur solemni Missa Sacrificio de illis Divine Providentiae Oraculis inter rerum memoriae pluri miscebantur sermones; quod nimurum illis Divinis Evangelii verbis, fortuito casu in hac Dominica decantatis nihil ad præsentis rei circumstantias accommodatius excogitari potuisse. Eadem occasione in medium proferebant advertiariorum frivola argumenta, que dum ventilant, eos modice fidei vel certe puerilium nuntiatatis liberius arguebant; assertentes DEUM omnibus liberaliter necessaria providere, atque adeo servis ejus, quibus insuper coeleste Regnum promittit, nihil in terris ad vitæ sustentationem defuturum. Attamen iudico nihil succentendum antagonitis nostris, quorum oppositiones Clementissimus Deus idcirco permisit, ut gloriose esset victoria nostra, & post tot difficultates devictas majori exinde lætitia perfunderemur; nam ut Lucanus cecinit: Gaudet patientia durus. Lestius est, quoties magni- fici constat beneficium. Adde, quod plerumque domus ille, que tantis laboribus parte fuerunt, benedicente Domino majora præceteris incrementa, deinde habuerint, ut frequentiori experientia siue jam comprobatum fuit.

IV. Evidet in hunc modum possessione hujus loci, Patres ut eundem in aliquam possibilem Religiosie Domus speciem adaptarent, lacera tecta imprimis cooperunt reficere, ornare deinde Templum, disponere cœnaculum & officinas, cellas pro Religiorum habitatione distribuere, & quidquid ad regularem observantiam excolendam necessarium esse videbatur, providè ordinare. Viuum

Verba Brevia  
petri covum  
dante in oratione  
in officiis.  
Matthaei a.

Cognovit  
adversari

Excellens

Religious  
Conventus de  
hunc modo con-  
ducere in exco-  
lio flexionem  
difficiles esse.

Ad regulem  
formam ova-  
ria religio-  
ne.

P p p p p quo-

1712.  
P. 62.

quotidie piorum charitas abundè suppeditabat ; exemplari sicut  
dem primorum Patrum vitæ conversatione multi Tyrnaviensum  
civium permoti, eis quandoque necessitate pressis subiida ultro  
ministrabant : unde siebat, ut locus anteà desertus & ruinæ pro-  
ximus brevi temporis intervallò splendidiorem faciem induerit,  
variisque pietatis ornamenti refulserit, quamvis post aliquot  
annos ob gravissimas causas (ut infra fusiūs commemorabitur )  
nostrī eo situ derelicto & Magistratui restituto in aliam meliorem  
urbis plateam habitationem suam transtulerint, quò factò prior  
locus in pristinum squalorem rediit, variisque vicissitudinibus ja-  
status vix pauca rudera illius Ecclesiæ retinuit.

## C A P U T V.

*Comaromii situs pro ædificando cœnobio compara-  
tur. Illyriense monasterium restauratur, & Pra-  
genfis Templi ædificium absolvitur.*

Comaromien-  
se Fundatio-  
nis opportu-  
nitatis.Obsidet se-  
ntra Comaro-  
mii anno  
1594.

1594.

Vigil quia  
Comaromium

I. **P**ostquam in Hungaria sedatis bellorum tam multibūs amic  
pax refloruisse, Fundatio D. Ladislai Episcopi Nitrensis  
in eodem Regno effectum fortita fuit, cuius aliunde facultates ex  
conservatis præteriorum annorum censibus multum jam audire  
fuerunt. Pridem nostris in votis erat religiosam Ordinis Colo-  
niam Comaromium deducere, atque in hoc munitissimo loco cœ-  
nobium condere ; ad quod eos invitabat oppidi situs tam a Vien-  
nensi, quam Posoniensi nostris conventibus haud procul rece-  
dens ; alliciebat nostros præterea Danubianæ navigationis oppor-  
tunitas, cum Vienna, Posonium & Comaromium ejusdem flumi-  
nis margini assidueant : cibi esuriales, quibūs in Ordine nostro  
potissimum vescimur, ex frequenti pescatione leviore sumptu pa-  
rabiles ; abundat enim juxta Comaromium Danubius variorum  
piscium generibūs, quorum ingens vis in alias indē regiones quo  
annis defertur. Locus præterea in extremitate insulae Citzuorum  
versus orientem propter geminas arces ad confluentem Istri &  
Vago-Danubij sitas ad terrorem hostium munitus est. Sinan qui-  
dem Bassa postquam anno 1594. Jaurinum quorundam prodicione  
occupasset, Comaromium quoque capere voluit, quod die 6.  
Octobris oppugnare cœpit, verū cum Matthias Archi-Dux Au-  
strie cum valido exercitu adventare nunciaretur, præsidarii in  
obsidentes Turcas eruptionem fecerunt, plurimosque eorum in-  
ternecioni dederunt : unde Sinan de ulteriore successu desperans  
die 20. Octobris succensis castris obsidionem solvit, ac Jaurinum  
unde venerat, recessit. Postea nunquam Turcæ tantam frontem  
assumpserunt, ut ejus expugnandi spem sibi facerent, unde &  
ambae arces virgines dicuntur, earumque altera, quæ nova voca-  
tur, ad propugnaculi angulum, qui Ilavarinum, quod Turcæ o-  
lim tenebant, respicit, virginis simulacrum ostentat, dexterā me-  
diū digitum Turcis obrudentis, lèvā verd' virginitatis coro-  
lam sive laureolam retinentis ; atque ideo virginis propugnaculum  
vol.

volgo nuncupatur: Inexpugnabile fertur esse praesidium, & totius Christianitatis contra Ottomanos Antemurale.

111.  
Iacobobis  
Præsidium.  
Liberi donum  
comparatur.

II. Verum, ut id, quod ortus sum, demum pertexam, nobis  
quendam vidua posidebat Comaromii liberam domum ( certam  
nobilitatis vocant ) cum aliquot latifundiis, utilitatibus, certisque  
peribus & privilegiis. Hec ultiro suum prædium nobis venale ob-  
sunt, ea tamen iub conditione, ut in Ecclesiam & cœnobium Or-  
dinis converteretur. Visis igitur & mature consideratis adibüs,  
andisque aliis ad eas pertinentibüs, facile inter ambas partes con-  
ventum fuit, ac totum prædium illud decem millium florinorum  
pretiò in possessionem Ordini nostro cederet. Firmatis rite u-  
trumque tabulis die sexta mensis Septembris venditio coailuit, cui  
poterat alia quoque consuetæ solemnitates ad valorem contractus  
accernerunt, ut in actis super hoc pro more Regni consecratis inten-  
tis latè visuri sumus. Nunc ad cœnobium Illaviense digredimur.

Prae contractu-  
re Illavie  
cœnobium re-  
stitutum.

III. Istud præsenti anno, in quem commentamur, a multe-  
sis, quibus diu & gravissime confictatum fuerat, verumnis respi-  
rate paulatim coepit; nam post obitum JOSEPHI I. Gloriose  
Memoræ Imperatoris ELEONORA Augustæ pro Filio suo CA-  
ROLO Rempublicam moderante pax, jam anno superiori felici-  
ter restituta, afficto Regno rursus affulxit, & armis utrinque po-  
stis omnis hostilitas sublata fuit. Hoc non obtante in nostro  
Illavieni cœnobio diutius & quidem ultra annum hæseront præ-  
fidiarii milites, quibus nondum mandata discedendi advenerant;  
ac præterea causabantur latronum manipulum ( ut non vano ru-  
more spargebatur ) ex prieteriti belli reliquiis conflatum viatori-  
bus infidiari, omnemque latè viciniam suis deprehensionibüs infe-  
stare; invigilandum igitur esse, ne ex cineribus adhuc calidis pri-  
stinum resuscitaretur incendium. Præerat tunc temporis desbla-  
to huic monasterio P. Christophorus a S. Francisco, qui vastatum  
cœnobium ad antiquam formam revocare desiderans, cum videret,  
milite locum occupante nihil perfici posse, sollicitè cum militum  
Prefectis egit, ut præfidiariorum numerus minueretur; quod e-  
tiam haud difficulter obtinuit. Post modicum tempus sub præ-  
textu restaurandi cœnobii iterum institit, ut milites residui ad ar-  
cam exteriorem transferrentur; hoc etiam consecutus fuit. Tandem apud eorundem Praefectos effecit, ut omnes milites Illa-  
via excederent: post quorum discessum Pater ab impedimentis  
omnibus absolutus continuò manum operi admovit, cœnobium  
repurgari, parietes dealbari, januas & fenestras restitui curavit, ac-  
que improba sua diligentia effecit, ut omnia intra unius aëstatis  
decorsum ad pristinam suam formam rediverint.

Actus ini-  
tius regum.

IV. Apud Pragenses nostros cùm per solidum quadriennium  
in edificatione Templi laboratum fuisset, sumptus liberalissimè sup-  
peditante Illusterrimo Domino Barone de Putz tandem opus ad  
perfectionem venit. Visitur ad hanc Ecclesiam insignis turris, ali-  
quot campanis sonoræ pularia ad omnem elegantiam constituta  
nitent, ac ingens vis Ecclesiastica supellestis cultui Divino fa-  
mularunt: in ipso autem Templi Propylæo juxta Insignia

Praga Tem-  
plo perici-  
les.

Ecclesiæ.

1712. Illustrissimi Fundatoris sequens uncialibus litteris Chronographia  
cum legitur: SANCTISSIMÆ AC DIVINÆ TRINITATI. Et infra:  
JOANNES IGNATIUS ET THERESIA BARONES DE PUTZ  
ECCLESIAM FIERI FECERUNT. Assurgit hoc Templum in  
forma quadrata magnificè, nisi quod Presbyterium subitus turrim  
angustius recedat: tres ad ingressum diducit januas: magnitudo  
eius, quamvis immoda non sit, satis tamen diffusum sinum ape-  
rit, quod magnæ hominum multitudini recipiendæ se parem con-  
stituit. Tholus, qui in medio ejus prominet, quatuor grandibus  
columnis innititur; singularis est architecturæ, referturque inter  
non vulgaria urbis ornamenta. Nec illud minus memorabile cen-  
Septem ara-  
sss. TRINI-  
TATIS my-  
sterium repre-  
sentant.  
setur, quod in singulis septem altarium, quibus hæc Ecclesia ma-  
gnificè superbit, Sanctissima TRINITAS sub diverso schemate re-  
præsentetur: juvat autem singula indicare. Princeps ara refert  
Patriarcham Abrahamum, ut ipsi in convalle Mambre tres Ange-  
li apparent, in quibus Sanctissimæ TRINITATIS Mysterium de-  
claratur, dum tres vident, & unum adoravit: tria autem Altaria, quæ  
in dextero Ecclesiae latere occurunt, Immaculatam Virginis D.I.  
PARÆ Conceptionem: S. JOSEPHUM CHRISTI Nutrictum;  
Sanctos Patriarchas nostros JOANNEM & FELICEM oculis subi-  
ciunt: illorum verò, quæ sinistrum latus ambiunt, primum exhibet  
S. MICHAELM Arch-Angelum, secundum S. ANNAM Matrem  
DEIPARÆ Virginis, tertium S. JOANNEM Baptistam. Octavum  
seriùs accessit post mortem Fundatoris, videlicet CHRISTI Crucifixi  
ad eam formam, quæ apud nostros Viennæ colitur, verum in isto  
nullum Sanctissimæ TRINITATIS schema relucet. Expendit autem  
Illustrissimus Fundator in construenda & ornanda hac Ecclesia, ut  
constat ex computatis rationibus ad Generale Ordinis Capitulum  
mitti solitis, quinque & triginta florenorum millia.

Sumptus in  
Ecclesiam im-  
penſi.

## C A P U T VI.

1713. *Pestis Viennam & Posonium depopulatur, quæ ex  
nostris aliquot corripit, eisque vitam tollit.*

Vienne peste  
non oblitus  
se prodit.

I. **A**D exeuntis hujus anni finem & orientis tertii decimi princi-  
pium indicia contagiosi morbi per inferioris plebis corpora  
se passim insinuârunt; latentis mali suspicio primò erupit anno su-  
periore in mense Decembri, cui exterminando Magistratus Vien-  
nensis se se mature opposuit, nosocomiis ad languentium usum  
probè dispositis. Annis aliquot priorib[us] pestifera iues illa per  
Sueciam & Poloniā, Hungariam & Transilvaniam grassata fuerat;  
multaque oppida infestaverat: qualiter autem, vel ex qua parte  
Viennam irrepserit, vel attentam excubitorum in confiniis fel-  
letit custodiam, nostrum non est investigare, illud pro certo af-  
firmare possumus, luem hyemis tempore dicto celerius invaluisse,  
cum homines frigoris impatientia ad hypocausta & vaporaria  
confluere soliti ex promiscua inter se agendi consuetudine exitium  
sibi invicem afflaverint. Porro in Januario hujus anni multiplicatis

infirmis & nosocomiis pressè refertis, præter illos, qui domi interibant, pestis & ira DEI satis jam erat manifesta. Igitur de placando Numine, hominum sceleribus irato, de refrænando præfertim luxu, reprimenda libidine, de reformandis moribus & castigatoris vitæ studio per omnia tempora CHRISTI fideles, ex ambonibus graviter admonebantur. Viri Religiosi, domos obeentes, obvios quosque adhortabantur, ut poenitentiae operibus intenderent, iratumque Numen placarent. Propius periculum, quod nemo censebatur immunis, curiam Ecclesiasticam vel maximè advertit, ut omnes rationes placandi Numinis, & Divinæ vindictæ averruncande iniret; quare Viennensis urbis Antistes Clero & populo per sequentes tres ferias sextas, nempe diebus Januarii tertia decimâ, vigesimâ & vigesimâ septimâ in pane & aqua jejunium indixit. Nec prætermissa sunt cætera, quæ ad externam & politicam gubernationem pertinent; solicite namque observabantur itinera, augebantur in collimitiis custodiæ, vestimenta, lecternia & hujusmodi lanae vel linea utensilia, in lue defunctorum, cautè colligebantur, rogóque injesta cremabantur.

spirituali  
temporali  
media ordi-  
nabantur.

II. Etsi verò hæ præcautiones non modicum proficerent, ne malum latius serperet, in urbe tamen populo frequentissima quotidie crescebat mortuorum numerus; in compitis horrendo spectaculo interibant lue afflati, sub vesperum & tota nocte deferebantur ad nosocomia moribundi, aut mortui sepulchris inferebantur. Quamobrem die vigesima quinta Martii in festo Annunciationis DEIPARÆ Virginis per omnes Ecclesias concionibus est interdictum, ne tamen populus tot in periculis & ærumnis spirituali pabulô diutius careret, mense Mayo pro animarum solatio iterum sacri Oratores in ambonibus, non tamen intra tempora, sed sub dio extructis Episcopo suadente comparere cœperunt. Insuper mense Augusto auctis quotidie magis funeribus manè & vesperi per horæ quadrantem æs campanum per omnia tempora insonuit, quod mortales Divinum Numen precibüs placare monerentur, unde & singuli æris hujus sonô auditô, sive domi, sive in plateis versarentur, curvatis in terram genibüs religiosè procumbebant, DEUMque pro avertendo hoc exitiali flagello obsecrabant. Et ut paucis complestar plurima: quocunque te verteres, omnia luctum & pavorem spirabant.

Multi lue  
contagiæ obe-  
ntur.

Aliæ præcau-  
tiones.

III. Multi fuere, qui jam mense Martio incolumitati suæ agitante metu consulturi regionem mutarunt, cum adversus epidemiacæ luis virulentiam vix certius meliusque remedium inveniatur matura fuga. Alias proinde terras petivere, qui Viennæ se tutos fore desperabant, & tempestivè, quando cuivis id adhuc integrum erat, capita sua discrimini subduxerunt. Nostri quoque de junioribus fratribus solicieti quosdam ad Pragense cœnobium, alios in alias regiones dimiserunt, ut si contagium invaderet Viennense cœnobium, aliqui tamen crudeli libitinæ falcis surriperentur: quamvis ii, qui Pragam concesserant, in eandem scyllam inciderint.

Multi in aliis  
regiones ali-  
grante.

Juniores ac-  
fratribus in alia lo-  
ca miseruntur.

IV. Interim vano rumore spargebatur, malum utplutimum remittere, quinimò dicere sunt ausi, nec pestem, nec peltis

Malum et pe-  
stis quæ  
tenuerat.

Qqqqqq peri-

1713. periculum apparere; quod ideo fortassis divulgatum fuit, ne plures urbe excederent, & præproperè fugâ reliquam miserotum turbam destituerent. Res ista multis exitium attulit, qui in sui costodia negligentiores effecti variis se periculis inconsultè exposuerunt; quidam etiam temerarii magis quam audaces luem eo celebrius contraxerant, quo segnius de contagio suspicabantur, aut longius se, & extra teli jactum constitutos arbitrabantur. Tunc autem Religiosorum asceteriis majus imminebat periculum; fit enim, ut Sacerdotes promiscuè ad ægros pœnitentiae Sacramenti causa evocentur, & dum nullis se antidotis præmuniunt, a morbidis venenô celeriter inficiantur. Hoc ipsum propriâ experientiâ suâ, sed serò didicit P. Ignatius a S. Michaële Ordinis nostri Religiosus; is enim ad ægrotantem mulierem, ut peccata confitenti absolutio nem impertiret, venire rogatus, Superioris permisso e vestigio morem gessit. Domum reversus audit, mulierem jam exspirâisse ille tamen de lue vel contagio nihil suspicatus solita sua negotia peregit. Post breve tempus nauseâ & horripilatione perstringitur, tentarique sibi sentit valetudinem. Accidit hoc ipsi pánice ante Pentecostalia festa diebus, nec tamen ullum languoris indicium prodidit, morbum aliquamdiu cautè dissimulans: verum quia per singula momenta ei vires dilabebantur, coactus tandem fuit ægritudini succumbere, ac opem medicam admittere, quod tamen serum nimis fuerat; virus enim, quod tempestivô remedio non adeò difficulter expelli potuisset, Patris neglectu auctum ad extrema eum redegit. Hinc Sacramentis Ecclesiasticis ad ineundum æternitatis iter munitus inter pia suspiria obdormivit in Dominô, die undecima Junii horâ primâ post medium noctem, que Festum Sanctissimæ TRINITATIS præcedebat, expletô anno ætatatis suæ quadragesimô tertio, Religionis verò vigesimô tertio. Sepultus est illicò ante auroram in silentio ad nostri Templi cryptam notatô loculô, ne propter morbi malignitatem unquam apriatur.

*Maz eadémque  
die nostrorum  
duo moriun-  
tur.*

*P. Lucas &  
P. Baltassar.*

*Sepulchrum  
habent pecu-  
nias.*

*Nostri Vie-  
nae reclusi.*

V. Metus & pavor exinde subortus omnes perculit, omnianque suspecta reddidit, ut imaginatio in hujusmodi casibus omnia in majus extollit. Verumtamen malum istud, quamvis admodum eslet sensibile, facile dissimulari potuisset, si in unius strage acquiesisset: at post modicum tempus P. Lucas a Regibus & P. Baltassar a Sanctissima Trinitate, ille Vicarius, hic cœnobii Janitor decubuerunt, quorum uterque pestiferi bubonis virulentâ confessus post Ecclesiæ Sacraenta devotissimè recepta, una eadémque die animam egit, septima nimirum & vigesima die mensis Junii; P. Lucas quidem manè horâ quintâ, & eadem horâ post meridem P. Baltassar. Noctu a publicis vespillionibus ambo ad commune pestiferorum cœmeterium elati, ibidémque ob Sacerdotalis charæteris reverentiam in peculiari sepulchro tumulati fuerunt. Agbat tunc P. Lucas ætatis annum quadragesimum octavum, Religionis decimum nonum. P. Baltassar verò ætatis quadragesimum sextum, Religionis vigesimum tertium.

VI. Tam funesti unius diei casus latere non potuerunt: unde

*Ex religiosis  
domibus pro-  
pius.*

*Exemplum  
est P. Ignatius*

omnes coadūt sunt majori deinceps follioitudine sive incolumenti  
prospicere. Re ad urbem data frequenti flatim die, nemp̄. q̄da-  
ya & vigesima ejusdem mentis Junii, ab Ecclesi Regimine degre-  
sum ad nos pervenit, quid prohibebatur, ne aliquis nostrum ci-  
vitem ingredieretur, prout tractat Oeconomum cum fisco &  
uno famulo ad comparanda tollim viettis necessaria & liberum ta-  
men noctes manebat extra populum in agros & silvas egredi re-  
sentivis auris captandis gratia.

1719

VII. Rebūs ita constitutis malum ulterius terpit & Frater  
anim Jacobus ab Angelis defuncti P. Lucie germanus fratre post  
undecim dies elapsos pestiferam lucem conduxit, ejusque maligni-  
tate intra triduum mortis confinis admotus sacramentis muniti  
petit, & obtinuit; ac tandem die undecima mensis Iulii in eo-  
dem morbi & mortis genere germanum fratrem fecutus, ejus-  
dem etiam latere in sepulchro adjunctus fuit, ut qui vitā & san-  
guinis necessitudine, Ordinis professione & domini contuberniō  
ubi invicem conjuncti erant, ne in morte a se mutuò separaren-  
tur. Memores autem dignum est, eorum quoque parentes annō  
milleseptuaginta sexcentesimo septuagesimo nonō, quā Vietnam pariter  
pestifera lucis horrendum in modum depopulata fuerat, confirmi  
morbō obiisse, & in eodem coemeterio sepulturam obtinuisse.  
Porro Dominus Franciscus Kreider defunctorum patruelis in-  
triusque fratris plam memoriam justa eorundem sepulchra lapi-  
deum signum sive titulum, inferta Trinitaria rubri cœruleique co-  
loris cruce, suis sumptibus erigi curavit, cui wreath & liquatō au-  
to obductam tabulam affligi, eidēisque sequens Epitaphium in-  
sculpi jussit.

## SISTE VIATOR.

En! haec Tumba piùm claudit par nobile Fratrum,  
Ordinis a Trino qui Numine stemma trahebant;  
Munere Preco fuit LUCAS a Regibus unus,  
Alter ab Algeris colorum nomine JACOB,  
Fratres germani, cognomine & omne KREIDER  
Herbe pestiferis fuerant operando salubres,  
Infirmis superas dum porrexeré medelas,  
Herbas has equidem nexit prius Ortus & Ordo;  
Arctius at tumulus præfens connexit easdem,  
Alt' pestifero Mors qVanDo InfeCerat ILLas.

Ergo ubi vos ambos traxit contagio mper,  
Anteriorque meos ubi vos aliquando Parentes  
**Exilio** L<sup>e</sup>Ves DeDit hVC ad fVnera tristes,  
Ac omnia uno tumulavit carcere butili,  
Marmore nunc yestridi emplo meminisse meorum  
Franciscus Kreider, qui junctus sanguine resto,  
Ac in Consilio de faulis Casaria armis

Q q q q q q

908

1713.

Offició fungor, sed & officiosior in vos  
Obtestor; Requiem det vobis quisque Viator.

*Epitaphium  
dinpitor, &  
etiam fustifi-  
cium.*

VIII. Steterat indegne aliquot annis hoc monumentum, donec nocturni graffatores auri splendore illesti, deceptique sanguinem diffregerunt, disjeceruntque ære secum in prædam ablato. Posterioribus autem temporibus quidam cœnobii nostri Viennensis alumnus, ægrè ferens dissipationem hujus monumenti, pristinæ illud integritati restituit, lapidique superstiti, eō prorsus loci ubi quondam ærea tabula affixa visebatur sequentia verba incidi curavit, ut etiamnum extant;

IN. PACE.

HIC. CONSEPUTI. QUIESCUNT.

TRES. ORD. EXC. SSS. TRINITATIS.

REDEMPTIONIS. CAPTIVORUM. RELIGIOSI.

PESTE. ANNO. M. DCC. XIII. DEFUNCTI.

P. LUCAS. A. REGIBUS.

P. BALTHASAR. A. SSS. TRINITATE.

UTERQUE. UNA. EADEMQUE. DIE. XXVII. JUNI.

ET. POSTEA. DIE. XI. JULII.

F. JACOBUS. AB. ANGELIS.

EHEU! OBIERUNT.

QUOS. HOC. FUNEBRI. MONUMENTO.

LUGENT. FRATRES. ET. AMICI.

*Singuli et  
mortem se pa-  
ratus.*

*Famulus in-  
firmitatis ve-  
stem Ordinis  
meruit.*

*Pofonum ob-  
tem annis pe-  
stis multos  
meruit.*

IX. Hæc ad funeris honorem. Ad horrorem vero triste atque lugendum erat, tres unâ socios intra paucos dies expitasse: quapropter & reliqui de mortis incertitudine pavidi, & quid DEUS de se statuisset ignari, quatenus promptiore animo naturæ debitum exolverent, generali totius vitæ exomologesi conscientias expiavere, & secundum Divini Numinis dispositionem ad utramque sortem subeundam se præparaverunt. Famulus præterea mercede conductus, qui nostris in ægritudine serviverat, domi retinebatur, ut deinceps ægrotaturis necessariò ministerio adficeret. Verum Divinæ placuit Benignitati malum hic fistere, cum nullum Viennensem Fratrum nostrorum deinceps amplius lues invaserit: Famulus vero ille constanter nobis adhæsit, & sopia peste vestem Ordinis instantissimè ambivit: conversorum itaque numero, quos Tertiarios sive Donatos vocant, in laborum & prohibitæ charitatis præmium imprimis adscriptus, postea etiam propter virtutes suas & religiosæ vitæ conversationem Ordinis tyrocinio inferi meruit, & ad solemnem votorum Professionem receptus fuit sub nomine fratris Wolfgangi a JEsu, productâ in DEI servitio vitâ usque ad annum millesimum septingentesimum vigesimum octavum, quo Carolinæ in Transilvania piè in Domino, ut vixit, obiit.

X. Pofonum quoque, Viennæ vicinam in Hungaria civitatem, pestifera lues delata quamprimum se certis indicis prodidit, apud plebem turbas excitavit, plerisque præfactè negantibus, si contagioso morbô infectos. Sed misis tumultibus, quibüs tunc

rude vulgus effurbuit, narrare nunc aggrediar, quomodo peltis  
etiam in hac urbe ad nostros penetraverit: P. Melchior a Sanctissi-  
ma Trinitate ad ægrotantem evocatus fuerat, ut de peccatis con-  
fitem exaudiret: accidit autem, quod sœpè solet, ut, cum ille  
languenti animæ salutem adferret, ipse in corpore vicissim in rei  
bene gestæ præmium virus & mortis causam referret. Infirmo  
igitur ad beatam mortem comparato ille domum reversus est abs-  
que ulla contractæ pestis suspicione; sic enim virus latebat. Sed  
post paucos dies malum maturuit, eundemque lecto affixit. Chi-  
rurgus, qui ægrotum inspexerat, eum nulli periculo esse obno-  
xiun, sed levè duntaxat pustulæ affectum prædicavit: quamobrem  
cum morbus nullò apto remedio curaretur, graviora symptomata  
successerunt, quibus invalecentibus Medicus advocatur, ut op-  
portuna medicinæ ægritudini obviaret: iste verò inspecto infirmo  
protinus cohorruit, eumque confessim Sacramentis muniri jussit,  
quibus celeriter receptis æger post paucas horas finem vite im-  
posuit die vigesima sexta Junii anno ætatis suæ trigesimò tertio,  
Religionis verò decimò quartò. Decumbenti P. Melchiori, quem  
ex inscita chirurgi nemo contagiosa lue afflatum considerat, alter  
Ordinis nostri Religiosus F. Alexius a S. Felice activam vitam pro-  
fessus sedulò ministraverat: is quoque ejusdem conversatione ve-  
nenum in viscera attraxit, parilique morbò correptus, atque adeò  
æceterorum convictu segregatus post suscepta Ecclesiæ Sacra-  
menta die undecima Julii, eadem quâ Fr. Jacobus ab Angelis Viennæ,  
decessit, ætatis suæ anno quadragesimò tertio, Religionis decimò  
tertiò. Uterque in pestiferorum cœmeterio sepulturam accepit.  
Post hos P. Antonius a JESU ab eodem morbo infestatus fuit,  
ope tamen pharmacorum post diuturnam ægritudinem conva-  
luit. Post hunc P. Joannes a S. Josepho eadem lue afflatus in-  
lectum decidit, nullaque medicina proficiente se Ecclesiasticis Sa-  
cramentis ad mortem disposuit, quam etiam obivit die quarta  
Septembbris anno ætatis suæ vigesimò nonò, Religionis decimò  
quartò, tumulatus in cœmeterio S. Joannis extra suburbia, dum  
ordinarium pestiferorum cœmeterium defunctorum cadaveribus  
jam refertum nullum amplius admitteret. Hæc inter Pragam lues  
quoque invasit, verumtamen singulari Numinis beneficio nemo  
nostrum ibi contactus fuit, duraveruntque incolumes, donec ma-  
lam desineret. Sola Illavia ob aëris salubritatem inter montana  
& vagi profluentem persistit a contagione immunis.

1713.

P. Melchior.

F. Alexius.

P. Antonius  
convalesc.P. Joannes  
obit.Praga nostri  
immunes.

Praga intulit.

## C A P U T VII.

### *Religiosorum nostrorum peste defunctorum ulterior Memoria.*

I. **F**ratres nostros pie in Domino defunctorum merito honore neu-  
tiquam defraudari oportet, ne superstites eorum virtutis  
exemplò priventur, & ut calcar ad æmulanda eorum recte facta  
aliis addatur; dum enim de charissimorum Fratrum nostrorum  
R. R. R. R. R. J. J. J. J. J.

Exempla sunt  
virtutis incla-  
tamenta.

1713. *jactura lugemus, unicum superest nobis solatum eorundem interdum meminisse, quatenus hōc pāctō caducitatis rerum omnium humanarum admoneamur, simūlque desideriō illorum conversationem imitandi exardescamus, ac viam ad cœlestēm patriam perseverantius inquiramus. Interim autem dum adhuc in hoc stadio militamus ad plura toleranda reservati ex Liturgia S. Jacobi Apostoli: Pro requie Patrum & Fratrum nostrorum, qui ante nos dormierunt, dicamus omnes totō animō: Domine miserere.*

*Liturgia S. Jacobi Apostoli.*  
*P. Ignatii a S. Michaeli elo-*  
*gium.*

II. Igitur P. Ignatius a S. Michaële patriā fuit Austriacus Viennensis, unicus parentum suorum filius, quem litteris humioribū erudiri voluerunt. Adolescens primis nostris Patribus Viennæ per Ordinis Professionem & sanctioris vitæ studium accessit, uberem nāctus in illis principiis patiënti segetem. Philosophica & Theologica studia ab iisdem hausit. Postea dicendis in Ecclesia nostra concionibus animum applicuit, annisque benè multis populo & Festis & Dominicis diebus DEI Verbum magna auditorum approbatione annunciat. Confraternitatem Ordinis Viennæ primus, obtenta ejus erigendæ facultate, ingenti solicitude ac sumptibū instituit, eandem etiam contra adversarios, qui ejus introductioni se vehementer opposuerant, pro viribus defendit. Sanctissimæ TRINITATIS cultum in alias quoque regiones per hujusmodi Sodalitates ferventer propagavit, atque in hoc suo pio conatu duo præsertim spectavit, nempe, ut Divinæ Majestati major indè gloria accresceret, & ut pauperes captivi eleemosynarum largitionibū a pluribus juvarentur, eorūque redemptio hac ratione magis promoveretur. Viennensis cœnobii Vicarius constitutus omnes regularis vitæ apices observavit, cæremonias Ordinis & sanctas consuetudines exactè custodiendo alios suo exemplo ad earundem observationem induxit. Missus, aut vocatus ad ægros tantò lubentius accessit, quantò certius noverat, eo in statu homines magis suæ mortalitatis recordari, citiusque infecti ad peccatorum detestationem & susceptionem Sacramentorum, a quibus multi incolumi corpore pertinaciter sèpè abhorrent. Neque his contentus alias quoque occasiones omnes studiosè captabat, quibus proximorum saluti consuleret. In hac charitatis palestra sicut totā vitā suā sudaverat, ità quoque mortem in eadem invenit; infirmitas enim, quæ eum neci dedit, non in ipso nata, sed contracta fuit. Undecim solum diebus decubuit, susceptis devotissimè Sacramentis, quamdiu ore & lingua valuit, seipsum salutaribū verbis ad extremam luctam & CHRISTI fruitionem animavit, ut adstantibus ubertim lacrymas eliceret. Cùm vox jam penè defecisset, in sacris tamen meditationibus ad extremum habilitum perseveravit. Quia verò cultum Sanctissimæ TRINITATIS magnoperè augere & propagare studuit, in ipsa solemni Sanctissimæ TRINITATIS Dominica manè horā prima exutus mortalitate ad æternam requiem evolavit, ut in altera vita cum beatis spiritibus idem festum gloriosius celebraret.

*Hoc P. Lucas a Regibus.*

III. Hunc proximè secutus est P. Lucas a Regibus, qui a piis, honestis & publico munere claris Viennæ parentibū prognatus, illis, ut dixi-

diximus, peste superioris faculi amissis cum germano fratre suo Jacobo lib Tutorum cura permanxit. Interim humaniores litteras, in quibus non vulgarem fecit progressum, usque ad Rhetoriam est profecutus. Tutores, ut juvenem naturali quadam proportione ad aetem pictoram feci viderunt, gemmario celebri cunctum conamendarent artis condicenda causa. Hic ille nativâ ingenii sui perspicacia adjutus difficilem hanc aetem itâ comprehensit, ut eam novis etiam inventionibus excoluerit, & in gemmis auro scitè interendaris mirificè excelluerit. Eius tamen industria precipuâ enituit in arte encauistica, ut prolixè compreobant elegantissime figuræ ab eo in diversi generis metallis expresse. In alias postea regiones profectus aliquot Magistris operam suam locavit. Interim audit ex nuncio, fratrem germanum Ordinem Trinitarium sūisse professum, cuius quidem factum impensè commendavit, ipse tamen nihil de inutando suscepit vita instituto cogitavit. Tandem cum Graeci Styrorum metropoli degeret, gravissimam incidit ægritudinem, que eum extremis admovit. Tunc enim verò inter mortuales animis angores cepit mundi fraudes agnoscere, ac sanctioris vita desiderio incalescens propositum, & faveente Numinis sanitati pristine restitucretue, se fratrem in amplectendo Ordinis instituto secuturum, quamvis tunc jam ageret etatis annum nonum & vigesimum. Convaluit tandem peculari Numinis ope, & ipse propositi sui memor nihil priùs habuit in animo suo, quam illud ipsum in opus redigere. Viennam itaque festinè reversus ad fratrem properavit, eidēmque, quid in mente agitaret, explicuit, nempe sibi fixum esse, in Ordinis ejusdem Instituto DEO servire. Suis deinde rebus compositis sacram Ordinis vestem a Superioribus humiliter ac instanter petuit, quam eam feliciter impetravit. Annò igitur millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto in solemni Epiphanie felto, quod anniversariâ memoria Trium Regum triplex oblatio, CHRISTO facta, recolitur, ille DEO seipsum in munus & sacrificium obtulit sacerdos induitus fratum Trinitariorum veste, atque novum in DEI servitio tyrocinium autoplicatus est. Etsi verò statim in principio sue conversionis acerrimis demonis insultibus quateretur, qui ei mox suscepit vitæ difficultates ac rigores, mox prioris vite licentiam & commoditates tam vivis coloribus ante oculos posuit, ut non semel totò animò cohoresceret, nihilominus tamen, ut erat veteris sua salutis studioris, astus & mendaces diaboli actes agnovit, contempsitque; humilitate tiquidem adversus arrogantisimum antagonistam suum dimicans infernalis aspidis fibulos, insidiisque Divini Numinis auxiliò facile superavit. Majore deinceps animi fortitudine ceteras religiosi hominis virtutes per propriam abnegationem, & crebras suum et ipsius viatorias assequi studuit, in id præsentum totis viribus intentus, ut propriam voluntatem velut infernum fugeret, propriumque arbitrium alieno imperio integrè subjeceret, usque dum vetere homine integrè exuto novum secundum DEUM indueret. Post annum probationis elapsum solemni votorum Professione se Divina Majestati arctius adstrinxit, &

1715.

*Jacobus in  
moto con-  
tempn.*

gratias, quas potuit maximas, DEO pro vocationis beneficio semper perdidvit: gaudebat nimis: quod finem, quem optaverat, consecutus fuisset, tēpē dicentem audivimus: *Felix*, qui punit consolabatur, & contubernales tyrones sancte perseverantiae commonefaciebat. Ad studia Philosophica & Theologica missus memor, quā excellebat, adminiculō, & assiduo cellae suae incolata tantos fecit progressus, ut omnes miraremur, hominem etatis provectū tantum potuisse in his litteris proficere. Vienna postea in nostro Templo ultra quadriennium Festis diebus ad populum concionantem audivimus, tanto verborum pondere ac tentiarum gravitate perorare solitum, ut sermo ejus auditorum animos profundissime penetraret, plurimosque ad emendationem morum, solidaque virtutis studium permoveret; natus enim, qui in vultu ejus emicabat, pallor (certissimum videlicet viri penitentis indicium) & vox ad severitatem composita eos etiam, qui germanam idioma ignorabant, in admirationem rapuit, non ambigentes, Patrem singularia, velut singulari quodam spiritu ad populum differere, ut ipsimet postea nobis fatebantur, & quedam ex gestu solum exteriore se intellexisse testabantur. His itaque aliisque experimentis innotuit superioribus insigne hujus viri talentum, quod ne in terram detoderent, sed potius illud cum usuris exigent, cum novitiorum institutioni præfecerunt, certa spe freti, illum ad Religionis normam plures sibi similes formaturum. Magnam officium Magistri vigiliam requirit, & assiduum circumspitionem in tot præsertim ingeniorum diversitatibus. Hoc cum ille optimè perspectum haberet, idcirco indefessa quadam solicitudine pro grege sibi commisso excubias egit, istud præprimis cavens, ne quisquam suorum licentiūs ageret, aut sacram Reglam sive Ordinis statuta, sanctasque consuetudines prævaricarent. Ejus modus agendi erat suavis, & sicut totus paterna charitate reverberat, ita cum omnibus equaliter procedebat. Nemo unquam eum vidit iratum, aut affectibus indulgentem. Defectibus etiam minimis suorum nequaquam connivebat, eos tamen credidit, si ad delinquentis emendationem profuturum putaret, secreta reprehensione corrigerre solebat. Suspiciones haud facile admitti nisi valido niterentur fundamento. Charitatis & concordie flagido semper flagravit; cūque semetipsum vivum virtutis exemplum præberet, tyrones facilè ad servandas Ordinis leges, austerritatemque induxit. Tandem Viennensis Collegii nostri Vicarii renunciatus eundem secutus est vitae tenorem. Relucet in omnibus actionibus ejus eximia quoddam maturitas exquisita pudentiae conjuncta, quā effecit, ut ab universis non minus eoleretur quam amaretur: sed nec aliud fieri potuit, cū ipse candus servire, & pro viribus gratificari fatageret. Frequens erat in iure penitentiae tribunal, ibidemque virus hautissè creditur. Morbo tacitus cū languori amplius resistere nequit, in cellam se contulit DEI voluntatem expeditatus. Anteaces circa pectus prodiverant, a quibus haud mitius, quam ab ardentibus illicibus a-

torteri questus, eorum tamen cruciatus patientissimè sustinuit. Spe tandem vitie conclamata ad incundum æternitatis iter se mita quieto paravit, & receptis Sacramentis decessit in pace die vigesima septima Junii manè horæ quintæ, ut jam superius indicavimus.

IV. Eodem die quinta pariter post meridiem horæ pari mortis genere Patris socii vestigia preslit P. Balthasar a Sanctissima Trinitate: Is Secoviæ, celebri Styriæ civitate, lucem vitalem aspexit die tertia mensis Januarii anno millesimo sexcentesimò sexagesimò septimò. Latinis litteris eruditus anno demum ejusdem seculi nonagesimò sacro Ordini nostro Viennæ nomen dedit, in quo tanta morum probitate effulsit, ut non solum inter domesticos, verum etiam inter exterros verus DEI servus auditet. Vis erat sanctæ simplicitatis, pius & devotus, inviolabilis silentii custos, sui contemptus non minùs appetens quam ambitiosissimus quisque honorum. Ad verba otiosa nihil respondit; cùm autem ea in proprium contemptum suum cedere observaret, illa libenter audivit ob spirituale lucrum, quod indè sibi vir humilis compare noverat; subridens itaque sanas omnes exceptit, ipso oris vultusque habitu animi hilaritate in testante: Effusè autem eachinari nunquam visus, vel auditus fuit. Cum oculis suis perpetuum fœdus pepegisse videbatur, utpote quos nunquam circumvagari passus est, imo nec elevare quidem sustinuit, nisi in rebus maximè necessariis. In cibo & potu ita parcus erat, ut vix aliquid ad sui sustentationem sumeret, quatenus plus superesset, quod pauperibus relinqueret, ideoque propter perpetua jejunia vix ossibus hærebat, semper tamen vegetus & sanus; nunquam doluit, aut ié dolere questus est. Officium Janitoris Viennæ plurimis annis exercuit maximè patientiæ & charitate erga pauperes, nec sinè magna adventantium ædificatione. A Superioribus ad vicina oppida quandoque missus, ut eleemosynas ad levandam domūs paupertatem colligeret, ab omnibus notis ut vir sanctus suspiciebatur, qua in opinione magis confirmabantur, quicunque actiones ejus & vitae conversationem pensiculatiū examinabant; assiduis enim precibus ubique operam dabat, aut, si locus admitteret, secretum quendam angulum petebat, in quo genibùs flexis meditationi vacabat: subinde, dum opportunitas tulit, pro hospitalitatis beneficio, aliqua de DEO prolocutus, aut de Christiana doctrina diffinuit, vel preces sibi familiares, aut modum eliciendi actus Fidei, Spei, & Charitatis homines docuit. De rebus cæteris, quæ ad spiritualem utilitatem nihil faciebant, nemo ab eo verbulum elicere potuit, minùs quod levitatem saperet, aut aliquomodo proximi charitatem læderet; in his enim altum silentium custodivit. Paupertatem adeò coluit, ut ejus amore totus colliquescere videtur, nihil unquam habere visus est, nec erat, quod ab eo auferri poterat: aliis autem pauperibus omnia ex charitate tribuit, & constans fuit opinio, eum a pauperibus, ad januam cœnobii stipem postulantibus, quibus modis omnibus subvenire studuit, luen contraxisse. Hanc ut primum manifestavit, ex præscripto Medici jussus est cæterorum contubernium vitare. Quò auditò ille e

Sssss

vesti-

1713. vestigio ad horti ædem secessit, parvaque solum cruce e ligno in manus accepta decubuit, & brevissime vitam finivit die & hora, quæ memoravimus.

P. Jacobus  
opus sua

V. Frater Jacobus ab Angelis P. Lucæ supra memorati Ger. manus, patriæ æquè Viennenfis, quod fratrem sæpius invisiſſer, cautè quidem, ac eidem ministrâſſet, hausta tabe post dies unde cim a fratri morte se affectum sensit, nec dubitavit extremum ſibi diem imminere; omnibūs iis, quæ ad animæ ſalutem faciunt, fuit Religiosus, & multis præditus virtutibūs, ſicut & reliqui tre, qui Posonii, ut ſuprā diximus, peste contacti obierunt; de quibus pleraque, quæ de bonis Religiosis prædicantur, æquè dici poſſent; nos autem, cum eorum geſta parum a prioribus differant, brevitatis ſtudiō hoc ſolū dicimus, iſtos, ſicut eandem cum superioribus vitæ catastrophē naſti ſunt, ita morum integritate illi eſtimillimos fuiffe.

## C A P U T VIII.

### *Generalia Ordinis Comitia celebrantur, Elec*tione* ibidem nostrorum & nova Ordinis statuta conduntur.*

M. P. Gene-  
tia ex Ponti-  
ficiis dispensa-  
tione hac vice  
iterum elige-  
tur.

I. A dvenerat hōc annō tempus legale, ut in eo poſt triennium elapsum alii conſituerentur Superiores; & poſt evolutum a prioris Generalis Miniftri creatione ſexennium aliud eligeretur. Gubernaverat hucusque ſacrum noſtrum Ordinem Noſter P. Joannes a S. Paulo singulari Religionis & prudentiæ commendatione, cuius Magistratus hōc annō exſpirabat; verū Patres Deſinatores Generales (quorum munus eſt Ordinem confiliō regere) futu- rum providi apud ſacram Sedem Apoftolicam inſtandum iudicarunt, ut, cum alias per Leges Ordinis id prohibebatur, ſic eſa eundem Noſtrum P. Joannem a S. Paulo in ſequens ſexennium Miniftri Generalis dignitate auditorare. Factum eſt hoc ipſo diſciō, & ſummō Patrum silentiō. Miſſis itaque Romam litteras impetratum fuit, ut in ſequens ſexennium is iterum eligi poſſet quamvis amanuensis errore hoc conſilium ex parte corruptum iſtit, qui ſexennii loco triennium ſcripſit. Apto tempore Litteræ Apoftolicæ in Hispanias pervenerunt. Patres igitur die ſexti Maii Sabbatō ante quartam Dominicam poſt Pascha in complutensi noſtro Collegio congregati, Summi Pontificis affenſum in pleno ro- calium (ut vocant) omnium conſeffu proposuerunt. Venit enim ad ſuffragia, & Noſter P. Joannes a S. Paulo denuo ad trien- nium ſecundūm Bullæ tenorem ob prædictam Amanuensis oce- tantiam Generalis Minister eligitur, qui licet munus omnibus modis amoliri a ſe niteretur, nihil tamen proficere valuit.

Electiones con-  
ducuntur.

II. Quod noſtrōs concernit: P. Michaël ab Assumptione Viennenfis Minister conſtituitur. Is triennio ſuperiore Cæſar-Ao- gultanum Ordinis noſtri Conventum in Aragonia administraverat, quem alias jam Posoniensis noſtri Conventus in Hungaria primus pre-

Prefidem scilicet, ac ante quindecim annos hinc in Hispanias missa diximus: hic itaque, propterquam die duodecima Septembri Vienam rediisset, viximus quartam ejusdem mensis postea Vienensis Ministerii possessionem accepit. Cum vero & Ilavienis Conventus restauratus identidem tyronibus suscepitur, qui proximè ad Ordinis professionem admittendi erant, alii vero annum probationis auspicarentur, hinc ibidem Ministerium instituitur, & P. Conradus a sanctissima Trinitate primus in serie Ilavienis Minister renunciatur. Definitorium autem Generale, ad quod pertinet de ceteris officiis providere, P. Maurum a Conceptione, qui nonà Junii hujus anni ex Catalonia Viennam appulerat, nostris Cenobis in Dictionibus Austriaco-Cesareis Commisarium Generalem proposuit. P. Redemptor, qui jam prius, ut inferius dicitur, Constantinopolim ad redimendos captivos discesserat, in eodem officio confirmatur. P. Martinus ab Ascensione ad Curiam Cesaream Procurator Generalis eligitur.

1713.

III. In iudicem comitis pro universo Ordine saluberrima statuta partim noviter concepta, partim confirmata sunt: e quorum numero & istud confitetur, quod jam prius in aliquo Patrum Congregationibus stabilitum fuisse, nempe ut singulis hebdomadis fixa statua die in omnibus Conventibus & Collegiis nostris secundum morem, qui inter nos invaluerat, Moralis Conferentia celebretur, & si statutum diem impediri contigeret, Conferentia pro arbitrio Superioris in alterum ejusdem hebdomadæ diem five precedentem five sequentem indicaretur, ita ut Conferentia hujusmodi in nulla hebdomada omitteretur. Additum quoque fuit, ut ad missas ferme in quolibet mense de SS. Missæ Sacrificio Conferentia institueretur, cui interessent etiam illi Sacerdotes, qui Confessarii munera non funguntur. Alii porro, qui per Leges nostras ab ille Conferentiis eximuntur, eodem tempore ab hora quinta ad sextam vespere communi orationi mentali in choro assisterent. Quod statutum Capituli Generalis hac vice pro primo in viam Constitutionis abiit.

de Ordine  
Generali  
statuta  
confirmata.

IV. Aliud pariter tunc Decretum emanavit non minus utile, quam precedens; videlicet, ut noster P. Minister Generalis in quilibet Ordinis Provincia, atque etiam in Germania, Polonia, & Italia eligeret Religiosum Chronographum, qui Historiam five Annales sua Provincie conserveret, & ejusdem res memorabiles accuratè annotaret, tum etiam vitas Venerabilium Religiosorum litteris commendaret & easdem magnò zelō & studio inquireret. Minister vero Provincialibus injunctum fuit, ut, si opus fuerit, in Conventibus & Collegiis Preceptum promulgari faciant, quod Religiosi omnes obligentur in scriptis manifestare, quidquid scivissent ad hanc Historiam pertinere. Chronographis denique filialium Provincialium vi hujus Decreti Privilegia Lectorum colla fuerant.

Cronographi  
missæ in quilibet  
Provincia  
designati  
erant.

V. Hoc Statutum magnam ubique approbationem plausum-que retulit, cunctis optantibus, ut primis Patribus nostris quid sile in mentem venisset; hoc namque pacto multa non laterent,

Chronographi  
missæ in quilibet  
Provincia  
designati  
erant.Referit se  
per hos Dec-  
retos.

1713.

quae modo frustis investigantur. Felicis nunc per synchronos Scriptores pleraque annotantur, & in commentaria referuntur, priusquam tempus edax rerum & infidiosa veritas ea in oblivio- nem abripiat. Vetus hoc idem Primitivae Christianorum Ecclesiae fuit institutum, ut doctissimus Caedinalis Baronius his verbis testatur: *Ut Sandorum, inquit, Martyrum rei præclarissimæ gestæ perpetua memorie monumentis confignarentur;* ex prefatione de S. Clemens traditum est, eum suisse, qui sepius Urbis Regiones divisi, sepius Natura singulas singulis attribuens, qui passiones Martyrum & rei ab eis gestas diligenterissimè conquistas litteris mandarent. Floruit autem S. Clemens jam Seculō CHRISTI primō S. Petri Principis Apostolorum Discipulus, & in Cathedra Successor.

## C A P U T I X.

### *S. Victoris Martyris Corpus ad Templum nostrum Viennense transfertur & ibidem collocatur.*

AB AMALIA  
Imperatricis  
mobilis donatus  
Corpus S. Vic-  
toris.

Collocatum  
in Sacello S.  
Crucifixi.

I. Evatum fuit olim S. Victoris Martyris corpus Romæ ex Co- meterio S. Calepodii, & anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quartō Principi ANTONIO FLORIANO LIECHENSTEINIO, dum apud Sedem Apotolicam Cœfarcii Oratoris munere fungitur, do- natum, qui postea Viennam reverto illud ipsum Augustissimum Im- peratrici AMALIE WILHELMINÆ obtulit. Imperatrix post obitum JOSEPHI Augusti Conjugis, ut Sacrum hoc pignus digna veneratione coleretur, illud suis sumptibus eleganti tumulo includi, ac super aram in Sacello nostri Crucifixi collocari jussit, quod an- no praesenti ad hunc modum contigit.

II. Die septima Maii, in quam post Festum Inventionis S. Crucis Dominica inciderat, matutino tempore ante horam deci- mam, postquam ad aris campani Signum Religiosa Communitas nostra convenisset, & Sacerdos cum Ministris Ecclesiastico amictu ornatus fuisset, quatuor Sacerdotes nostri Sacrum hoc Corpus splendido ac ornato pugmati impositum in humeros sustulerunt, illudque prævia cruce cum toto Religiosorum coetu inter solem- nem supplicationem extra Ecclesiam portaverunt, paucis tamen exterris comitantibus, multumque infra pompam, quæ similes solemnitates Viennæ celebrari conuenerunt, quid ob gravitatem sub idem tempus pestis flebiti interditum fuisset frequentiori conventui. Ergo trans majorem portam Ecclesie in platam se- cundum latus nostri Tempii modicis ambagibus circumlatum fuit Sacrum Pignus, ac post redditum super altare CHRISTI Crucifixi collocatum. Decantato exinde solemni Messe Sacrificiō, cuja angendo splendori insignis Musica accessit, actus iste ad finem per- venit.

SS. Reliquias  
specialiter co-  
bundas.  
S. Ambrofius  
fum. gg. m  
Hab. Mart.

III. Ditatos Sacris Sanctorum Martyrum Lipsianis ita monst-  
ravit Ambrofius Mediolanicum Episcopus & Doctror Ecclesie: *Cu-  
reli Martyres deoottissimè percolendi sunt, sed specialiter bñ querum Re-  
liquias possidentur.* Idem graviter inculcat S. Joan. Chrysostomus,  
ejusque



Prospectus Ecclesiae et Conventus Pragensis Ordinis  
Ecclesie et Sanctissimae Trinitatis Redemptoris Captivorum

Brechbhart je Praha.

ejusque rei hanc rationem assignat : *Eam ob causam nobis Reliquia Sanctorum concessit DEUS, ut nos ad eorum imitationem perducant, ut sint nobis portus quidam, & idoneum solatum malorum, quæ affidit nos affigunt.* Egebamus profectò tunc temporis vel maxime Sanctorum Patrocinio, quorum intercessione a pluribus calamitatibus & verumnis, quæ nos undique circumstebant, liberaretur. Piè autem credimus Sanctum Victorem CHRISTI Martyrem Viennensis nostræ Domus Tutelam in se suscepisse, atque adeò omnibus devotis contubernalibus consulimus, ut semper sacras ejus Reliquias peculiari devotionis affectu prosequantur. Ceterum, quo tempore, aut sub quo Tyranno, vel quibus modis Sanctus ille Martyr pro fide CHRISTI passus fuerit, cum nihil nobis hucusque certi innotuerit, eam rem in medio relinquimus.

1713.

S. Chrysostom.  
serm. de S.  
Ignatia.

## C A P U T X.

*Pragæ sub Benedictione æris campani aëris exorta  
tempeſtas ejusdem ſonô mirabiliter diſpelitur : ſub-  
ſecuta quoque fuit novi Templi noſtri Pragensis Conſecratio.*

I. **P**ragæ nullo adhuc pestiferæ luis patente indicio, multò majoris exultationis Festum agebatur; novum siquidem Templem nostrum structurâ nitidum, & ſacrî ornamentiſ locuples jam ad perfectionis apicem ascenderat, consummatoque opere Conſecrationem depofcebat. Hæc indicta fuit in diem undecimam Junii, quæ eō annō Festum Sanctissimæ TRINITATIS Orbi anniversaria Solemnitate reduxerat. Celebritas tamen biduō ante initium habuit, die nimirum nona ejusdem mensis, quæ in feriam ſextam inciderat. Æra campana in turri jam pendebant, tria videlicet justæ magnitudinis; majos, quod locum in duorum aliorum medio tenet, ponderis mille ducentarum librarum, ad Sanctissimæ TRINITATIS honorem conflatum, ut testatur hujus Myſterii Imago & Inſcriptio annum numeralibus litteris exprimens his verbis: SANCTO TRI-VNI DEO DEDICATVR. Aliud ex parte dextra ponderis sexcentarum librarum, DEIPARÆ Virgini Sacrum, exhibet in tribus Divinis Personis Effigiem Sanctissimæ TRINITATIS Divam in Cœlo Virginem coronantis cum hac Chronologica Inſcriptione: BEATÆ GENITRICI VIRGINI MARIE DICATA. Tertium ad ſinistram pendens, & trecentarum librarum pondere grave honoribus Sanctorum Patriarcharum noſtrorum JOANNIS & FELICIS dedicatum fuit, & exhibet Triquetram figuram ſive Trigonum Sanctissimæ TRINITATIS Symbolum, in cuius medio prominet Oculus Divinæ Providentie: inferius Sancti Fundatores noſtri genibus nixi procumbunt, hac epigraphe chronologica adjecta: BEATIS PATRONIS NOSTRIS IOANNI A MATTHA ET FELICI DE VALOIS. Ubi rursus obſervandum venit, quod ſicut omnia ſep̄tem altaria in Templo, ita pariter æra tria campana in Turri, ſub diverso ſchemate Sanctissimæ TRINITATIS Myſterium, Gloriosum Ordinis noſtri Titulum, repræſentent, ex quo

Tria in turri  
ara Campana  
ſicut & 7. in  
Ecclesia alta-  
ria Mysteri-  
um SSS. TRI-  
NITATIS ex-  
hibent.

Tttttt inge-

1715. ingeniosa non minus Illustrissimi Fundatoris inventio, quam insignis ejusdem liberalitas, excellens in Divinam TRINITATEM amoris affectus & obsequium mitificè clarescit.

*Incipit hujus  
annis secund  
cœlō benedi  
cio.*

*Sobotta tem  
pestas ad fo  
num æris dis  
pellitur.*

*Aliæ ejusdem  
virtutis expe  
rimenta.*

*Alla tria ibi  
dem minoris  
pondoris æra  
campana.*

*Novi templi  
consecratio.*

II. His igitur benedicendis tribus campanis destinatur dies, ut paulò ante memoravimus, nona Junii, feria nimicrum sexta, quæ Solemnitatem Sanctissimæ TRINITATIS præcedebat; proximum namque Sabbatum aliis exequendis curis jam destinatum erat. Circa horam tertiam post meridiem adfuit Illusterrimus & Reverendissimus D. Daniel, Electus Episcopus Tiberiadis, Principis Archi-Episcopi Pragensis Vicarius Generalis, & Officialis, qui Pontificalibus vestimentis indutus cum linteatis ministris, & religiosa nostra Communitate per construetos gradus in turrim evasit, ibidemque æris campani benedictionem auspicatus est sudò adhuc innubique cœlō: verum dum aliquantulum in sacris ritibus prægreditur, validus repente consurrexit ventus, qui postquam cœlum atratis nubibüs obduxisset, aër coruscationibus, fulguribus, & tonitruis, quæ grandinosus nimbus comitabatur, cœpit adeo ferocire, & Antistitem, cæterosque assistentes impetrere, ut benedictio non priùs perfici posset, donec objectis valvis fenestræ obtegerentur, quarum adminiculō benedictio sub ipso acerrimo tempestatis furore absoluta fuit, ac æra campana attractis funibüs, prout moris est, primū sonuerunt. Et o! rem miram, magnaque omnium stupore celebratam! vix enim Campanarum sonus sece per aëra diffuderat, dum protinus tempestas remittere, cœlum serenari, aureumque Solis jubat laetius promicare: Advertit hoc prodigium non solum omnis vicinia, sed & ipse quoque Episcopus, qui benedictionem peregerat, unde dñe affirmavit, haec æra campana magnam adversus tempestates habitura virtutem; idem & cæteri augurabantur, ac credebant: hinc cùm eodem mense Junio in Festo Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli turbulenta rursus ex alto ingruisset tempestas, vicini præteriti illius effectus memores ad turrim nostram properaverunt, & æra campana velut in tempestatis amuletum compulsarunt, firmiter pertuhi, eam mox abactum iri, quod & factum fuit. Altera quoque mox vice virtutis earumdem cœperunt idem experimentum. Quæcunque nunc immineat tempestas, injussi veniunt plerique nocte turris æra campana impulsuri. Pendent autem in alio adhac eminentiore ejusdem turris loco alia tria minoris ponderis æra campana, multò priùs pro minore adhuc Ecclesiola ab eodem Illustrissimo Fundatore nobis comparata; quæ in celebrioribus Ordinis Festivitatibus omnia simul pulsantur, varioque clangore suo admirabilem edunt harmoniam.

III. Porro, ut inchoatum narrationis filum pertexamus, postridie ejus diei illuxit Festum Sanctissimæ TRINITATIS Ordinis nostri Titulare: aderat Pragæ P. Martinus ab Ascensione Compellarius Generalis, cum aliquot ex Viennensi Collegio Fratribus, quos præmiserat, nostris Pragensibus suppetias laturos, ut in iunilibus functionibus major requiritur assistentium Religiosorum numerus. Invitati quoque compauerunt ex Reverendis Dominis

cum

cum Rubea Stella Crucigeris nonnulli amici nostri, qui & subsidia-  
rias operas in peragenda Consecrationis solemnitate in se admis-  
erunt. Ante horam septimam Episcopus novam Ecclesiam conse-  
cratus adfuit. Præparatis jam rebūs omnibūs & dispertitīs  
obeundis muneribūs præsente Illustrissimo Barone de Putz Fun-  
datore cum aliis plurimis primæ nobilitatis Viris juxa ritum om-  
nia accurate ac celeriter peraguntur, longōque ordine (ut Con-  
secratio Ecclesiarum magnum temporis spatium ob Cæremonia-  
rum multitudinem requirit) ad finem perducuntur. Post hæc so-  
lemne Missæ Sacrificium idem Antistes inter festivos Musicorum  
concentus celebravit. Hoc absolutō in triclinio nostro omnes  
accubuerunt, illatæque sunt dapes singulari magnificentiā & sum-  
ptu Fundatoris nostri præparatæ. Assederunt Episcopus & Regni  
Burggravius (qui in Bohemia Pro-Regis locum & dignitatem tue-  
tur) post istos verò Regni Locumtenentes ac Illustrissimus Fun-  
dator noster cum omnibus ferè, qui Pragæ degebant, præcipuæ  
Nobilitatis viris. Post meridiem hora competente elegantem  
eruditumque sermonem ad populum habuit Admodum Reveren-  
dus Dominus Thomas Mihalovius, e sacro Ordine Militari Cruci-  
gerorum cum Rubea Stella Pragæ apud S. Petrum Apostolum Paro-  
chus. Demum expositō Augustissimō Altaris Sacramentō Lau-  
des Vespertinæ & Lauretanæ Litaniæ musicorum operâ decantatæ  
fuerunt. Tantâ autem frequentiâ tota illa die populus ad solemnita-  
tem confluxit, ut omnia fora & compita venientium & redeuntium  
multitudine undique ferverent, quæ omnia festivissimum hunc  
diem in sœcula memorabilem atque celeberrimum reddiderunt,

## C A P U T XI.

### *Agitur Comaromii pro impetranda nostri Cœnobii erectione.*

I. **C**umaromii empta Libera Domo, & pretiō ejusdem partim  
jam persolutō ad ulteriora procedere visum fuit. P. Mar-  
tinus ab Ascensione sœpè memoratus Commissarius Generalis,  
priusquam iter Pragense auspicaretur, P. Emmanueli a S. Maria  
Secretario suo plenam hujus negotii consummandi facultatem de-  
dit, eidēque in hunc finem Procuratoris titulum attribuit, ut  
Comaromiensis Magistratus consensum ad novum Ordinis nostri  
ea in libera domo condendum Cœnobiū impetraret. Gnaviter  
egit Pater, quod jussus erat, studuitque præprimis benevolentiam  
Senatorum sibi conciliare. Hi verò, quod scirent, nos ex Fun-  
datione piè defuncti Episcopi Nitriensis necessaria omnia tum pro  
ædificiorum structura, tum pro Religiosorum sustentatione simul  
adferre, pronis animis in assensum ferebantur: attamen futuro-  
rum benè providi conditiones aliquas & cautelas oportunas no-  
stris proposuerunt, ad quas si Ordo noster se obstringeret, quan-  
tum ex se erat, ædificationi Templi & Cœnobii se haud  
gravatè assensuros pollicebantur. Conditiones in chartam sunt

T t t t t

Comaromii  
nostrī procu-  
rant Cœno-  
biū.

con-

1713. conjectæ, quas P. Emmanuel absque mora Pragam ad P. Commissarium Generalem transmisit, ut Sua Reverentia, si gratæ videtur, illas sui nominis Chirographo & Sigillō officii sui confirmaret, ac ratas haberet.

Conditiones admittuntur.

II. P. Commissarius Generalis, ut justas & tolerabiles conditiones proponi vidit, ultro eisdem assensum præbuit, quia concordiam & æquitatem cum universis colere ambiebat; sed neque mendicationis renunciatio magnam ipsi vim faciebat, quod nostris ex ipsis Fundationis redditibus satis suppeteret, unde frugaliter possent sustentari. Nihil ergo cunctatus oblatam conditionum formulam admisit, subscripsit, & confirmavit expeditis sequentibus Litteris

## BENEDICTA SIT SANCTISSIMA TRINITAS.

Nos Fr. Martinus ab Ascensione Domini per Dominia Cœrei Commissarius Generalis Ordinis Discalceatorum Sanctissime TRINITATIS Redemptionis captivorum Primitivam Regulam profitantium, unà fatemur, & recognoscimus virtute præsentium tam nomine proprio, quam nomine totius Nostræ Sacrae Religionis: Quod siquidem Incliti Tres Status Civitatis \* Rev-Comaromiensis Anno, dieque Datarum Præsentium ad demissam eamque humillimam instantiam nostram Ecclesiam & Conventum in eadem Civitate, fundoque Libero & Curiali nostro erigi nobis permiserint, Consensumque suum eatenus præbuerint, ideoque Nos quoque pro avertendis futuris discordiis Sacrosanctè assecuramus Eosdem Inclitos Tres Status prementes urbis Rev-Comaromiensis, quod in nulla re erimus molesti Eisdem Statibus, vel Civitati, aut ejusdem civibus, incolis, vel inhabitatoribus, neque damno, aut impedimento mendicantibus alii, sed neque pro fabrica Conventus aut Ecclesiæ, vel pro Religiosorum sustentatione aliquam eleemosynam a dictis Inclitis Tribus Statibus, civibus, ac incolis Civitatis præmentionata petemus, aut mendicabimus, verum ex interesse Summe Capitalis ab Excellentissimo & Illusterrimo quondam Domino Ladislao Matyassowsky olim Episcopo Nitrensi, Inclique & Apostolici Regni Hungariae Cancellario & Sacre Cœsareæ Majestatis LEOPOLDI I. Sanctæ Memorie Confiliario initimo nobis reliete ac testamento liter legata Ecclesiam & Conventum exstrui, Nosque & nostros sustentari faciemus. Super quorum Premissorum majorem fidem & firmitatem, Juriumque sepefactæ Civitatis Comaromiensis Inclitis Statibus, ac civibus & incolis Jurium futura pro cautela hasce Litteras nostras Reversales, sive Testimoniales sub Authentico nostri officii Sigillo & Syngrapha nostra

\* Rev-Comaromium idem est ac Comaromium ad trajectum, vocatur & Magnum Comaromium ad distinctionem alterius, quod parvum dicitur.

nostra manus assecurata annuimus. Datis in loco nostro Conventu*m* 1713.  
Præcepti die octava mensis Iuli anno Domini 1713.

(L.S.) Fr. Martinus ab Ascensione Domini  
Commissarius Generalis.

Mandau*n*. P. Commissarii Generalis

Fr. Emmanuel a S. Maria  
Secretarius.

III. Conditionibus sub præmissa formula a Senatoribus P. Commissario Generali propositis, ut ab eodem Prague admissis & subscriptæ fuerunt, P. Emmanuel Comaromii suum quoque nomen addidit, easque cum libello supplici Comaromiensis Civi-tatis Senatui obtulit, cuius etiam consensum facilè negotiò *confessus* est, ut ex sequenti Recripto patet: pace tamen omnium & concordia dicere liceat, quædam in utrumque instrumentum ieropissè, quæ aliquando censurā non carebunt. Novemt id rerum non pridem actarum memores; nos tamen illis recentiendis nihil immeramur, sed quæ ad rem nostram faciunt, ad ea referimus.

Nos Triplex Status Regie ac Priviligiata Civitate Rev-Comaromiensis Damus pro Memoria: Quod cum Nos in anno mox curventi Millefimo Septingentesimo Decimo Tertio die verò 24. mensis Iuli in præcattâ Civitate & Comitatu eodem pro tractandis & consulendis diversarum causarum nostrarum rebus & negotiis in frequenti Congregatione nostra consideravimus, similiisque suissemus constituti, ex tunc Amodio Reverendus P. Emmanuel a S. Maria Ordinis Discalceatorum Santissime TRINITATIS Redemptio-nis captivorum Primitivam Regulam Proficiendum Secretarius, Nominem tam sibi, quam & Commissarii Generalis, ac ejusdem Venerabilis Ordinis instituit in eo mediante sui supplici libelli coram Nobis debita cum instantia, quatenus Nos in hac Regia ac Priviligiata Civitate Rev-Comaromensi, inque Libero ac Curiali Fundo corun-dem Ecclesiam ac Conventum exprimí, ac erigi permetteremus; eni-jus justa & equitati conformi postulatione admissa. Præsentibus annuimus, ac consentimus, damusque omnimodam Potestatis Parentatens sepe Titulato Venerabili Ordini, ut in præmentionato suo Fundo Curiali tam Ecclesiam, quam & Conventum liberè, & abs-que impedimento exprimere & erigere valeat: Tali tamen inter-jellà per expressum conditionis cautela, ut per præmentionatum quoque Venerabilem Ordinem Nobis, Jurium Nostri & Successorum nostrorum futura pro cautela sub Autentico extra data conditione

Uuuuu

fanciù

Præfectum accessit, cui ille propter diuturnam in Hispaniis consuetudinem erat charissimus, ac eidem angores, quibus coarctabatur, candidè aperuit, rogavitque Principem, ut sua Auctoritate & officiis Cardinalem Archi-Episcopum in vota nostra dignaretur inclinare. Princeps, ut erat Ordini nostro insigniter devotus, die octava & vigesima mensis Novembris ad Cardinalem exarari jussit Epistolam officiis sane refertissimam, in qua magnopere dilaudavit Ordinis, & præcipue P. Mauri merita, quorum ipse Princeps se locupletissimum testem profitebatur: rogavit proinde, ut Sua Eminentia ob saluberrimum Redemptionis Institutum & exemplarem Patrum vitam nostris precibus velit ocyus suo suffragari annutu. Neque his contentus, quatenus litteris majus pondus accederet, in fine sequentia verba manu propria adscripsit: *Itaque officiosissime & amicissime requireo banc meam petitionem & commendationem secundari; & id spero tantò celertus, quanto Vestra Eminentia major est Divina Glorie Promotor, & bujusmodi piorum & bonorum publico utilium Religiosorum Prosector.* Hæc Epistola, tanti Principis Auctoritati sociata, satis valitura videbatur ad Archi-Episcopi animum emolliendum. Quid verò consecutum fuerit, cùm juxta temporis seriem in annum sequentem inciderit, suò loco dabitur.

## C A P U T XII.

### *Decimæ Redemptionis initia & progressus recensentur.*

**L**UT primū, anno videlicet hujus saeculi decimō, P. Jose-  
phus a JESU Maria captivorum Redemptor electus fuit,  
omni studio & sollicitudine augendis Redemptionis facultatibus in-  
cubuit, quatenus tantò plures captivos Christianos e tristissima  
Turcarum servitute eriperet. Modum hujus rei perficiendæ in-  
quimenti aptissimus visus est piorum beneficentiam implorare.  
Statuit proinde diversas Germaniæ Provincias, & imprimis qui-  
dem vicinam Moraviam stipis corrogandæ causâ peragrare: ut au-  
tem ubiores itineris sui fructus referret, diversas a diversis, nem-  
pe ab Augustissimo Cæsare, Nuncio Apostolico, aliisque Magna-  
tibus commendatitias Litteras poposcit, iisque obtentis die tertia  
mensis Februarii anno millesimō septingentelimo undecimō cum  
Socio Nicolspurgum primam ad Austræ confinia in Moravia ci-  
vitatem concessit, eleemosynarum collectionem pro eliberandis  
captivis ibidem auspicaturus. Ipsum initium lætos spondebat  
successus. Ad alias proinde urbes & oppida digressus ubique sin-  
gulari benevolentia exceptus fuit. Curiones Ecclesiarum aliique  
Concionatores ex ambonibus plenum Charitatis Institutum am-  
plissimè dilaudavere, multisque rationibüs ostenderunt, opes non  
alias quæstuosius aut maiore cum fructu posse impendi, quam in  
opus adeò pium & salutare. Accendebantur auditores ad largas  
conferendas eleemosynas, e quibus tantum animarum lucrum  
scaturire animadvertebant. P. Redemptor cum Socio diebus

Per Mor-  
viam & Silie-  
riam pro Re-  
demptione  
captivorum  
instituta elec-  
mosynarum  
collectione,

Comenda-  
tur Redem-  
ptio & Sacra-  
dotibus.

Uuuuuu a

Domi-

1713.

Dominicis & Festis ad Ecclesiarum valvas stetit, & absolutis Divinis Officiis post Sacerdotum commendationes ab exeuntibus, & certatim largientibus non contemnendam stipem recepit. Subinde Magnatum ædes, Magistratus & Senatorum Collegia, nec non causarum Tribunalia adivit, liberali ubique manu adjutus; alibi civium domos ostiatim circumire, ac eleemosynas in Redemptionis subdia corrogare pro flagranti suo zelo molestum nullatenus sibi duxit, dummodò piam peregrinationem suam tantò majore fructu consummaret. Sic quoque Silesiam obivit paria charitatis expeditus officia, & post decem menses ultra tria Florenorum millia labore minimè pœnitendo per Mercatorum & Trapezitarum litteras Redemptionis æterio intulit. Paucis autem ei, aut potius nullis expensis totum hoc iter stetit, cum ubique beneficos homines reperiret, qui Patrem cum Socio ad mensam liberaliter adhiberent & suppeditatis curribus de loco in locum alium deducerent. Ex eisdem Regionibus postquam Pater mense Decembris Viennam regressus fuisset, multas adhuc accepit eleemosynas, a diversis submissis, qui non satis se largitos fuisse crediderunt, nisi & absentem sua liberalitate prosequerentur.

*Ad discessum  
disponuntur  
Res Redem-  
ptionis.*

II. Igitur ad initium anni præsentis millesimi septingentesimi decimi tertii benedicente Domino Redemptionis facultates ex collectis eleemosynis, censibus annuis & tertia conventionalium reddituum parte, in eliberandos captivos separata, sic acreverunt; ut P. Redemptor non modicum captivorum numerum se redemptorum confideret. In citeriore Tartariam, quam Budziakensem vocant, animus erat proficisci: quamobrem usus opera Serenissimi Principis Eugenii Supremi Polemarchi Cæsareorum Exercitum eundem supplex oravit, ut sibi pro adeunda Tartaria Salvi Conductus litteras per Fleischmanum, Cæsareum ad Portam Ottomannicam Residentem Ministrum, impetraret, easque sibi Viennam perferendas curaret. Serenissimus Princeps Eugenius Pater Redemptoris preces minimè est aspernatus, deditque continam operam, ut Pater desideratas litteras quam celerrimè impetraret. Interea P. Redemptor, dum Turcici Imperatoris Salvum Conducendum expectat, se in viam accinxit, rebusque suis prudenter dispositis alloquium Clementissimi nostri Cæsaris CAROLI VI. expeditum, cui humiliter propositum suum aperuit, Litterasque populi ad Principes Valachiae, ac Moldaviae per quorum dictiores erat transeundum, tum ad Praefatos viarum, qui itinera omnia ob pestis formidinem adhuc obsidebant, ut sibi liber ubique transatur concederetur. His obtentis, alias insuper a Confiliaco Belo accepit Patentes Litteras, quibus mandabatur Militaribus Præsis, ut Patri quotiescumque opus haberet, suo auxilio præstari essent, & pro majore itineris securitate ei militarem custodiam ubique adjungerent.

*Invenit ad  
tempore occasio  
in Transva-  
niam præde-  
stendit.*

III. Hæc inter Excellentissimus D. Sigismundus Comes Kossuth ex Aulico Transilvanie Cancellario ejusdem Provincie Gouvernator a Cæsare renunciatur, qui dum ad iter se disponit, P. Redemptor tam opportunam securam protectionis occasionem minime negat.

negligendam ratus, nec litteras Salvi Conductus, quas etiamnum Constantinopoli expectabat, moratus, quod eas veredariorum operâ sibi commode in Transilvaniam submitti posse putaret. Excellentissimum Gubernatorem rogavit, ut tibi liceret cum Socio in eis Comitatu in Transilvaniam proficisci. Gubernator hujusmodi Socios tibi magnopere gratulatus, cum quibus viarum tredia subinde spirituali colloquio lenire, & quotidiano Mille Sacrificio pro singulari anime sue solatio recreati posset, P. Redemptoris preobus gratanter annuit. Indicta est igitur profectio in diem vigesimam quintam mensis Aprilis, que ut illuxit, P. Redemptor assumptus Sociò Fratre Dionyfio & S. Michaële circa horam secundam post meridiem Religiose Communitati nostre pro more valedixit, imploratique Divinò auxiliò & Fratrum orationibus post horam ad Danubii ripam, ubi naves ad discessum parate confitebant, peruenit. Post duas horas ipse quoque Excellentissimus Gubernator adiuit, quem aduentementem P. Redemptor officiosissime salutavit. Vespere deinde circa horam quintam consensis navibus a litore solverunt, & secundo lumine navigare coepérunt.

Periculisque  
ripi Danie  
li.

IV. Ingruente nocte validus ventus exortus Danubium in fures concitavit, ita ut naves ægrè ad Fitchamundam ejus fortiori subducerent. Hæc fluminis indignatio eis necessitatem impulit ad meridiem usque sequentis diei in eodem loco hærendi. Pacati tandem ventorum intolleria ulterius profecti Altenburgum, quod Germanicum vocant, applicuerunt, & in ripa noctem ibi transfegerunt. Die vigesima septima mensis ejusdem post medium noctem favorabilem auram nauci Posonium, primam Hungariae civitatem, prætervecti sunt, quod pestifera lues, que ibi gravabatur, eos ab ingressu arceret. Sequenti die ad meridiem novus iterum turbo adversus navem consurrexit, eique exitium intentavit: quod periculò animadversò nautæ tota nervorum contentione navim ad ripam impulerunt, a qua dum aliquot passibus absunt, remigibus præposta celeritate utentibus cuneus, cui remus adhæbat, rumpitur, remusque vi fluctuum abripitur, & in alveum lapsus vix manibus extrahitur. Ingravescente itaque periculo nautarum unus felici temeritate in vicinum litus transtulit, & apprehensio fune vi navem ad se petraxit: hunc Gubernator ob fiduci dexteritatem, magno sanè discrimini conjunctam, donò quodam remuneratus est. Post tres horas reparatis omnibus, cum ventus refedisset, prospero cursu Jaurinum navigarunt: Vigesima octava ejusdem ventus contrarius illos usque ad horam quintam post meridiem juxta litus hærente coëgit, eadem tamen die Comaromium attigerunt. P. Redemptor novæ domus nostræ videndæ desiderio incensus civitatem ingressus est, Frater vero Dionyfius apud Gubernatorem in navi pernoctavit. Die sequenti Pater bene manè nostris comitantibus navim iterum subivit, proiectusque Strigonium usque Salvi Conductus Litteras, que ibi examinari solent, ostendit, quibus inspectis omnes rursus iter continuârunt, & noctem Vicegradi egerunt.

1713.

Budam per  
veniunt, &  
iter reliquum  
per terram in-  
fluitur.

V. Ad auroram indè moventes ultima mensis Aprilis circa horam nonam manè feliciore navigatione usi Budam pervenerunt. A Budensi Gubernatore omnibus humanitatis officiis excepti ad arcem diverterunt, ibique triduanò hospitiò detenti inter se consultare cœperunt, num præstaret flumentaneo, an terrestrì itinere reliquam viam absolvere? Tot pericula, quibus haec tenus in Danubio conflictati fuerant, eis haud difficulter persuaserant, ut postrem eligerent: ne tamen impedimentorum multitudine gravarentur, quosdam e numero famulorum Gubernator designavit, qui sarcinas Petri-Varadinum secundo flumine aveherent, easque deinde plaustris impositas in Transilvaniam deducerent. Budæ verò conduëti sunt aurigæ, qui Debreczinum usque Superioris Hungariæ civitatem Excellentissimum Gubernatorem, Religiosos nostros & aliquot famulos transportarent. His accesserunt quindecim milites armati, securitatis causâ in viam assumpti, in quorum comitatu tertia die Maji circa vesperam iter aggressi per vastam illam camporum planitiem ad fluvium Tibiscum intra biduum pervenerunt; cum verò fluvius iste ripas supergressus latè restagna. ret, pons autem nullibi reperiatur, opus habuerunt vadī iugandi gratiâ aliquot milliarium circuitu uti: nunquam reperto trajectu, tandem accolæ eis locum ostenderunt, ubi flumen facilius transmitti posset. Invocato igitur Divini Numinis auxiliò Excellentissimus Gubernator & P. Redemptor curru fluvium ingrediuntur, quem etiam satis adhuc feliciter superarunt, quamvis in medio alveo equi jam natassent, & ipsi ad medium corpus undis fuissent immersi: quos in alio curru secutus Frater Socius cum Pharmacopœo Gubernatoris non eadem felicitate transmisit; curru siquidem in medio fluminis everso ipsi extreum periculum adierant, quod etiam fortassis non evasissent, nisi robustissimus quisque de ripa fluctus insiliisset, & eis cum morte luctantibus opem tulisset.

Tibiscus cum  
periculo tran-  
stur.

Adventus in  
Transilvan-  
iam & honores  
recipi.

VI. Debrecziniò digressi cum Transilvaniæ confinia attigissent, obvios habuerunt Patres Societatis JESU e Claudiopolitano Collegio, qui Gubernatori felicem adventum gratulati sunt, & deinde nostris adjuncti Claudiopolim rediverunt. Post modicum intervallum duodecim viri nobiles, a Provinciæ Statibus Deputati, pretiosissimis ornati vestimentis, & in phaleratis equis sublimes Gubernatori occurrerunt, eundemque officiosissime consalutârunt. Post istos in tribus effedis sex Claudiopolitani Senatores Gubernatorem veneraturi advenerunt; qui hoc honoris officiò perfuncti Gubernatoris Comitatui accesserunt, & ut ejus ingressum Claudiopi splendidiorem redderent, illum ad palatum usque distâ urbis affectati sunt. Nostrî a P. Rectore ad Collegium Societatis JESU invitati gratum ibidem habuerunt hospitium. Paulò post Gubernatoris sua prædia invisurus, postquam P. Redemptor debitas Gratiarum actiones pro receptis beneficiis ei persolvisset, ad oppidum S. Benedicti perrexit, nostri verò Tordam concederunt. Hic cum intellectissent, ipsum quoque Gubernatorem post modicum temporis intervallum affuturum, ejus adventum honoris gratiâ operiti decre-

decreverunt. Quò allapsò eundem Albam Julianam usque, quæ hodie in novam formam redacta, novum quoque induit vocabulum, & ab Augustissimo nostro CAROLO VI. ejus Restauratore Alba Carolina nuncupatur, comitati sunt. Hic Gubernator a Steinvilleo Supremo in Transilvania Militiae Praefecto & bellum-duce urbanissimè fuit exceptus. Et ille quidem in hac urbe quorumdam deciderorum negotiorum causâ aliquamdiu substitutus: nostri vero pridie Kalendas Junii cum Reverendo P. Josepho Bardia Domus Cibiniensis Societatis JESU Superiore Cibinium contendebant, quò etiam vesperi ejusdem diei pervenerunt. Quamvis autem urbis illius Magistratus nostris commodum hospitium affi gnaverit, ipsi tamen aliam domum, ab eodem Patre Superiore benevolentissimè oblatam, e regione eorumdem Patrum Societatis JESU inhabitare maluerunt, ut Templo viciniores sacris eò commodius vacare possent.

VII. Tandem & ipse quoque Gubernator Cibinium pervenit, quem paulò post subsecutus est Steinvilleus, eidemque ad Kalendas Quintilis post longam meritorum ejus commemorationem & commendationem totius Transilvaniæ fasces tradidit, & ex Cœstis mandato Dacie Mediterraneæ Gubernatorem proclamavit, non sine ingenti Catholicorum omnium gratulatione, & heterodoxorum indignatione, qui sectæ suæ hominem in votis habuerant.

VIII. Occasione urbis Cibiniensis, ubi olim mirabili DEI dispositione, ut superius indicavimus, inventa fuerat CHRISTI Crucifixi Effigies frequenti nunc veneratione ac copiosis obtentarum gratiarum testimonis in Viennensi Ordinis nostri Templo illustris, ad majorem prædictorum confirmationem operæ pretium duxi de eadem urbe quædam inferere: Cibinium itaque una ex insignioribus & elegantioribus urbibus, quas Saxones in Transilvania condiderunt, nomen habet a præterlabente amne Cibinio. Germanis tamen *Hermanstadium* dicitur, idque propterea, quod anno CHRISTI sexto supra millesimum Hermanus quidam Nobilis Norinbergensis, unus ex Palatinis Gisela Reginæ, Sancti Regis Stephani conjugis, eodem in loco amœnam sibi villam ædificauit. Hanc opinionem præter Historiographos confirmat etiam publicum urbis Sigillum, cuius peripherie haec verba inculpta leguntur: SIGILLUM CIVIUM DE VILLA HERMANI. Temporum successu mœnibus & monumentis aucta caput extulit supra reliquas Transilvanici Principatus civitates. Aedes omnes, quas habet plurimas ac structuræ magnificientia superbæ, rubris imbricibus teguntur, unde & a Turcis *civitas rubra* dicitur. Bifariam dividitur per lapideos gradus, in Superiore nimirum collis inedificatam & Inferiorem per vallem diffusam. Ex his prior nobilior reputatur, at secunda amœnior, ut potè cuius omnes ferè viaci ac placeæ rivulis profunduntur. Visitur ibi Magnificum Templum, quod a S. Crucis nomen accepit, viginti quatuor aris aliquando nobile, sed post eliminatos, odio civium in Romanam Ecclesiæ, Sacerdotes & Canonicos omni decore destitutum: primum est opinari, in eodem Sanctæ Crucis Templo Venerabilem

1713.

Alba Julia  
nomo Caroli  
nn.Transilvaniæ  
Gubernatum  
fæcips Co-  
munes Kocia.Cibiniensis Ci-  
vitasq; destric-  
tio.Ecclæ S.  
Crucis.

**1713.** CHRISTI Crucifixi Effigiem olim cultam fuisse, quæ nunc in Ecclesia nostri Viennensis Cœnobii postliminiò pristinam crucifixum venerationem recuperavit. Hoc innuit P. Bombardus *Historia JESU*, qui in Sedis Cibinensis descriptione sic loquitur: *Crucifixi verò Salvatoris Imago primævæ Religionis testimonium, quod terra infossum plurimis annis latuerat, PP. Trinitatis Vienna degentibus transmissum est, ubi plurimis miraculis indies clarescit.* Pauca haec ille, de quibus nos superius plura deditus.

*Pater dico fratres expeditas salutem Conducunt.*

*Ecclesiastis colliguntur.*

*In Transylvania Ordinem adiuvi posse.*

*Interpretem filii conductum.*

*In Valachiam sibi.*

**IX.** Verum ut cœptam narrationis seriem, quam paululum interrupimus, pertexamus, Cibinii P. Redemptor per sex fere hebdomadas substatit, Patrum Societatis JESU ibidem degentium, librali usus hospitalitate; quod grati posteris testatum cupimus. Interim, dum ab Ottomannica Porta Liberi commeatūs in Tartariam litteras præstolatur, ne pretiosum tempus inutiliter terretur a Magnatibus & urbis civibus aliquas pro eliberandis captivis decimosynas collegit. Insuper quamvis nullas haberet mandatūm instruções ad Publica Principatus Comitia supplicem libellum detulit, quo Sacrum Ordinem nostrum in Transilvania domum quam stabiliti rogavit. Responsum est, hanc petitionem ad Summam Cæfaris Potestatem pertinere; nemo tamen Catholicorum huic proposito adversabatur: multi etiam nostri Ordinis amorem palam profitebantur, & urgebant, ut Pater a Clementissimo Cæsare hoc peteret, séque id obtenturum, non dubitaret. Porro cum Pater videret, desideratas Salvi Conducūs litteras spe tardius advenire, statuit in Valachiam profici, ut illarum expeditionem e vicino apud Cæfareum Ministrum Constantinopolī urgeret: & ne quid jure desideraret, quod ad Redemptionem inchoandam necessarium esset, interpretem Sermonis Tartarici tempestate conducere voluit. Degebat eo tempore Cibinii vir quidam Turcarum stirpe oriundus, sed Catholicæ fidei cum conjugi ac prolibus pridem per Baptismum initiatu, qui bellicarum machinarum curam gerebat, & non minus ab opibus & bonis fortunæ, quam a vita probitate commendabatur. Hunc P. Redemptor ab Excellentissimo Steinvilleo Generali Transilvaniae armorum Præfecto, sub cuius clientela ille militabat, expedit, obtinuitque. Rebūs itaque omnib[us] ad iter obeundum instruētus Excellentissimis Transilvaniae Moderatoribus pro receptis beneficiis & Patribus Societatis pro hospitalitate amplissimas gratias persolvit. Steinvilleus vero, ut veteres favores novis cumularet, Patri commendatitias Litteras ad Stephanopolitanum militiæ Prefectum, & ad ipsum Valachiae Principem tradidit, quib[us] munitus die undecima Julii cum Socio & interprete Stephanopolim, sive Coronam, limitaneum Transilvaniae Præsidium, iter auspicatur subfidiariis equis & militib[us] ad itineris securitatem stipatus. Post quadrūdum Coronam feliciter tenuerunt non sine mutua cunctiorum gratulatione, quod viam silvis impeditissimam, & idcirco latronum grassationibus valde obnoxiam salvi, & incolumes peragrassent; nec vanum fuisse eorum metum docebant inhumata hominum corpora, quæ, ut Frater Socius in suo hodæporico annotatum reli-

reliquit, per silvam passim sparsa horrido suo aspe&tu prædonum 1713.  
immanitatem luculentissimè testabantur.

X. Coronæ, postquam Steinvillei litteras Præfecto exhibuis-  
sent, omni officiorum genere exculti ad reliquum iter se comparâ-  
verunt, assumptisque secum sex militibus desultoriis in Valachiam  
profecti fuerunt. Vix viam ingressis densissima iterum Silva oc-  
currit, quam illos tranire rursus oportebat; situs enim illius re-  
gionis creberrimis silvis impeditur, & pro grandi viatorum incom-  
modo aut in altissimos montes attollitur, aut in confragosas rupes  
asperatur; sanè via hæc per montes erat adeò scrupea, ut currus  
etiam vacuus non aliter quam adminiculò quatuor hominum pro-  
trudi potuerit, imò & subinde funibüs per trochleas attrahi de-  
buerit. Descensus ibidem per rupes ob præcipitia haud minus  
difficilis, illos aliquando ab hora tertia post medium noctem us-  
que ad eandem horam tertiam post meridiem in perpetuo asper-  
rimoque itinere fatigavit, donec tandem ad crucem lapideam per-  
venissent, quæ in Transilvanie confiniis erecta Cæsareas, Turci-  
cásque ditiones determinat. Indè Valachiam ingressi mitissimum  
nocti sunt iter, & post biduum die videlicet quinta & vigesima  
Julii in sacra luce S. Jacobi Apostoli Tergovistum, præcipuam Va-  
lachiæ civitatem, attigerunt, apud Patres Ordinis Minorum S.  
Francisci gratò hospitiò excepti. Evidem Princeps Valachiæ eo  
tempore Bukaresti degebat, sed quòd jam priùs de nostrorum ad-  
ventu certior factus fuisset, currus & equos paratos destinaverat,  
qui nostros Bukarestum ad se deveherent: hinc Tergovisti non diu  
admodum morati die trigesima Julii Principem secuti fuerunt, &  
duorum dierum itinere per amoenissimam planitatem in ipsis Augu-  
sti Kalendis manè Bukarestum venientes P. Gabrielem, Ordinis  
Minorum Observantium, veterem amicum salutavère, & in pau-  
pertina ejus domo, quam incolebat, diverterunt,

Continuat  
itineris.

Iter difficile.

Cross ad Va-  
lachiam Con-  
finia denotat.

Tergovistò  
Bukarestum  
sequuntur  
Principem.

## C A P U T XIII.

### *In Valachia Redemptionis negotium ad vota non succedit.*

I. Quò propiorem P. Redemptor se inchoandæ Redemptioni  
esse crediderat, eò longius se abesse animadvertisit; nam  
publicæ fidei litteras, quas jam mense Aprili Viennæ expectaverat,  
mense Augusto in Valachia necdum impetrare potuit. Sperabat  
tamen ob viciniam Aulæ Turcicæ, quæ bello Moscovitico intenta  
Adrianopolî ad tempus sedem fixerat, se Valachici Principis ope-  
rà cupitum Salvum Conductum faciliùs obtenturum. In hunc  
finem Principis alloquium expetivit, ut ei adventus sui causam  
insinuaret. Quartâ igitur Augusti per Petrum Grienerum, Princi-  
pi ab Arcanis Epistolis, P. Redemptor in Aulam vocatus compa-  
ruit, & in conclave Principis benignè admisitus magnè reverentie  
testificatione Augustissimi Cæsaris Litteras Princi tradidit, quas  
ille non minore veneratione suscepit, ac disertissimis verborum

Pater Princeps  
pia obtinet al-  
loquium.

Litteras al-  
dem tradit.

Yyyyy

expres.

1715.

expressionibus aliquid testatus est, quem perpetuo erga Angos-  
tum Austriacam Domum in corde se fore re dicitur. Tunc  
postmodum altera etiam Steinvillei epibola Pater consilium  
oponique Principis pro exequendo Redemptionis negotio implo-  
ravit, eundemque enixus obsecravit, ut Salvi Conductus Litteras,  
quas hactenus nequidquam sollicitaverat, sua audientate, ac  
industria sibi afficeret, & impetraret. Sed cum haec materia non  
magis esset intricata difficultibus, reposuit Princeps, te manu  
consilio prehabito declaraturum, quid sibi salubrius esse videceret;  
interim pro P. Redemptore, Fratre Socio & Interpreti in angelos  
dies assignavit ex aula suppeditanda virtualia. Post aliquot dies  
Princeps P. Redemptorem ad te evocatum singulari dignitatis tua  
affidere jussit, & familiari sermone indicavit, tempus nunc valde im-  
portunum incidisse, quo ne cogitare quidem de itinere longiore  
hceret, atque adeo in presentibus rerum circumstantiis ne unum  
quidem captivum redimi posse; hoc namque bello cum Kalis  
fragante Tartaros omnia perragati, vias oblidere, obvia queque  
diripere tam effreni praedandi licentia, ut ville passim, viesque in  
Moldavia incolis desituantur, qui in abditissima nemora prodigi  
in haero ponent, si vitam & libertatem salvam retinerent; ne  
discrimina haec imminutum iri, donec ingruente hyeme Tarca-  
domos inas repeatant, si autem committere non posse, ut Patrem  
tempore tunc proximitibus periculis exponi tineret; quamvis enim  
ad Ottomanica Porta Salvi Conductus litteras idem ferre, &  
exhiberet, nihil certe in eis apud ferociissimam gentem prae-  
pertarum: odio nunc apud Tartaros laborare non ioldum extens  
verum etiam hujus regionis incolas ob fideli cum Moldovis con-  
munionem. Perpendere preterea, minorem nunc de facultatis  
bas quam de vita jactura solitudinem esse faciendam; qui i  
martyrium appeteret, idret, rem ingloriam fore, & temerari  
proximam, vitam & sanguinem absque rationabili causa tam in-  
consulte prodigere. Porro licet Pater hoc tempore usque in  
Tartaria veriaretur, cogitaret, qualem nunc Redemptio facilius  
esset habitura heris peregrine agentibus (omnibus enim, quodam  
arma ferre poterant, sub pena capitis injundum fuit exercitum le-  
qui) Quid demum? nulla vendibilia repertirentur matraps; quod  
enim cum abiente potest esse traditus emptionis? Nergius oleum  
& operam perderet. Princeps monebat, ut idem in Valachia lat-  
tuper remaneret, donec invincibilis haec obstatula de medio lo-  
lerentur, quod brevi futurum afferebat.

Pater agens  
Salvum Con-  
ductum.

11. Hac Principis responsio & Redemptionis comprehensionis  
ratio hanc vulgariter Patris animum perculere: cedendum sum  
erat tempori & rationibus plusquam certis, subtilendumque in  
Valachia, donec Tartarorum, Turcarumque motus deferendum.  
Ne tamen nihil interim ageret, iteratis vicibus de his in Valachia  
adventu Caesaris Ministrum, Adrianopolis agentem, per litteras  
edocuit, similique eundem instantissime rogavit, ut Salvum Con-  
ductum in Tartarium, ante multos menses per Serenissimum For-  
cipem Eugenium commendatum, quantoq[ue] impetrare comissemus.

ne tantoperè desiderata captivorum Christianorum Redemptio longiore mora fruitaretur, rem eam grandis apud I<sup>DEUM</sup> meriti futuram, eique insignem commendationem apud Eugenium Principem conciliaturam Post modicum tempus Valachie Regulus Tergovistum reversurus P. Redemptori significavit, ut, si cum Fratre Socio & Interpretè se sequi placeret, currum & equos ad eorum obtinequum paratos concenderet, iisque pro arbitrio uteretur. His Principis monitis ut Pater morem gereret, die undecima ejusdem mensis Augusti cum suis Tergovistum pariter concessit, ibidemque ad Patres Ordinis Minorum S. Francisci divertit, & benignè receptus fuit: Optimis tamen viris illis Pater diu molestus esse noluit, ne beneficiis per diuturnam moram abuteretur: itaque vicinam domum, quæ ad eorumdem Cœnobium pertinebat, pacto in singulos mentes pretiō conduxit, vietus autem ex Aula Principis liberaliter suppeditabatur. Hæserat ibi Pater cum suis ultra tres menses magnò fanè fastidiò suo & morarum tædiō, quod auspicandæ Redemptioni avidissimè inharet. Tandem præter spem suam a Cæsar's Ministro Adrianopoli litteras accepit, quæ significabatur, nulli se hactenus industræ ac labori pepercille ad impetrandam Patri in scriptis licentiam Tartariam adeundi, nihil tamen propter Turcarum suspiciones effici potuisse; ideoque suadebat P. Redemptori, ut sub Valachici veltitū schemate aliis ejusdem gentis mercatoribus junctus Adrianopolim penetraret, fore, ut ipso præsente Salvi Conductus litteræ facilius impetrentur. Verum id consilium sagaci Patri parum tutum videbatur, verito nimirum, & justè quidem, ne conceptis suspicionibus somitem & ignem adderet, ac majoribūs, quibūs se inter Barbaros difficulter expediret, periculis indueret. Rescripsit igitur, ut instantius urgeret negotium ex ea præsertim ratione, quod vi sacrarum cum Nostro Imperatore ad Carlovicium initiarum pacis capitulationum Turcæ liberum nobis ingressum ad redimendos captivos nullo jure possint denegare: moneret proinde illos, ad stipulatæ pacis tabulas oculos reflectere, nos non aliunde quam ex Aula Cæsareæ Majestatis, nec ob aliam causam venire, quam ut ejusdem Cæsareæ Majestatis subditos rationabili pretiō redimeremus, quod utrinque conventum, pactum & armistitii legibus infertum Turcæ infrauti nequirent.

III. Ad has Patris litteras Cæsareus Minister apud Portam Ottomannicam iterum Salvum Conductum actius cœpit urgere; disertèque addidit, eum non in alium finem postulari, quam ut patrō lytrō captivi e Cæsareis ditionibus in libertatem vindicentur. Id Carlovicensis Pacificationis tabulis inter utrumque Imperium sancitum fuisse, haie se opponere, idem fore ac publicam pacem ex parte Imperatoris Romani sacrosanctè hactenus observatam violare. Hæc propositio Turcarum tandem duritiem perfregit, eosque impulit, ut continuò litteras petitas solito more expidient, quibus P. Redemptori potestate fecerunt cum Socio & uno famulo ob tolos tamen captivos redimendos Tartariam ingredi, omnibus Turcici Sceptri subditis severissimè interdicentes, ne

X y y y y y \*

1713.

Principem se-  
quitur Tergo-  
vistum.

Domum ibi-  
dem sibi con-  
ducit.

Litteræ Cæsa-  
rei Ministri  
difficultates  
proponunt  
circa Salvum  
Conductum.

Respondens  
litteræ.

Salvi Condu-  
ctus litteræ  
obtinentur.

quis-

1713. quisquam auderet Patri in itu & reditu impedimentum objicere, aut aliud quocunque negotium facessere, quod haec ita inter utramque partem, Cæsarem videlicet, & Portam Ottomannicam, per solemnem pacificationem decisâ fuissent. Imperium hoc esse Regium Achmeti Sultani, cui omnes obedient &c. Delatae sunt hæc litteræ Tergovistum ad diem decimam Novembris, quibus acceptis P. Redemptor confessim accessit Principem, & quid tandem profecisset, laetus recensuit: Addidit præterea, sibi quidem conitutum esse, Bessarabiam adire, sed cum Tartari nunc e bello redentes vias omnes latè replerent, atque adeò ante finem sequentis mensis spes nulla tuti itineris affulgeret, decrevisse se, ut tempus in lucrum converteret, Byzantium prius proficiisci, ibidemque capitivis Christianis, maximè verò remigibus ad transtra damnatis, quorum sors esset omnium longè miserrima, Redemptionis beneficium impertiri: Quamvis autem Princeps ab hoc Patris consilio multùm abhorret, ille tamen in sua opinione obfirmatus conanter in hoc proposito persistit, scilique ad iter Constantinopolitum accinxit.

## C A P U T XIV.

### *Prosperi Redemptionis successus Constantinopolii Særeninosus in Valachiam redditus.*

*Intra Confinitio-  
politanum  
adspicitur.*

*Principi gra-  
tia expandit.*

*Sacerdos R. J.  
natus Salvi  
Constantius  
Marti malle.*

I. **V**alachiæ Princeps sub idem tempus decreverat Virum Nobilem (Bojatinum vocant) Legati nomine Constantinopolim mittere, ubi mense Decembris Turcarum Sultanus relixi Adriano poli affuturus nunciabatur. Pater itaque cum Socio & Interpretere, Valachicis indutus vestimentis, Legato se vice comites adjunxit. Appropinquante tandem profectionis die, que erat octima septima Novembris, P. Redemptor beneficentissimo Principi pro omnibus ab eo haec tenus perceptis favoribus prolixas gratias persolvit, promisitque, se confectò negotiò, cuius causâ Constantinopolim nunc accederet, Tergovistum redditum, ac deinde in Tartariam pro bono captivorum excursurum. Dimissi inter festas appreicationes recta Bukarestum proficiscuntur, ubi die regisima ejusdem mensis Novembris in Festo Sancti Patris nostri BEATIS VALESII P. Redemptor summò manè mille Sacrificia celebravit, & inde viam cum Legato prosecutus post duos dies ad Istrum Valachiæ limitem pervenit, quem tamen fluvium propter validum ventum non nisi sequenti die trajicere potuerunt. Bulgaria ingressis Turcici Præfecti occurrerunt, & res omnes eorum accuratè discusserunt, quibus nostri, antequam interpellarentur, Liberi transitus Litteras exhibuerunt. Turcis satis osti Magni Sultani Signum inspexisse, ut omnes quoquid liberet, adseruerint, quamvis earum literarum virtute nostris non trans Istrum Constantinopolim, sed in Tartariam citeriorem liber transitus concederetur. Hæc Barbarorum oscitantia five incuria alteri quoque profuit; nam eadem hac occasione quidam Societatis JESU Sacra

Sacerdos, e Polonia cum Famulo & tribus equis in Persiam Evangelii prædicandi gratiâ profecturus, simul advenerat, qui cum nullas Salvi Conductus aut liberi transitus litteras secum attulisset, nostrorum societati accessit, ac sub nostris Letteris, quas Tûrcæ, ut dictum manet, legere neglexerant, inobservatus transivit. Hoc obice superato nullum amplius Constantinopolim usque itineris senserunt impedimentum, ad quam illi urbem die sexta Decembbris feliciter pervenerunt, & Valachici Principis Palatum ingressi aliquot diebus inter non pauca incommoda ibidem subsisterunt.

1713.

II. Utprimum Reverendus P. Jacobus Cæliodus Societatis JESU Sacerdos & Missionarius de adventu P. Redemptoris nunc accepit, beneficium cimbæ Galatæ, ubi tunc degebat, ad nos fratres transfretavit, eosdémque officiosissime salutavit. Magnum ex ejus colloquio Pater Redemptor solatum conceperat, quod audiret, spem affulgere Redemptionem feliciter perficiendi, & intelligeret, Cæsareum Ministrum propediem Constantinopolî affutus rum; nec enim dubitabat se commodius apud eundem hospitium reperturum. Ne autem intercà tempus ei absque fructu elaberes tur, aliquot captivos redemit, illisque certain in singulordies pecuniam, quâ sibi viëtum compararent, assignavit. Ad diem primam & vigesimam ejusdem mensis Decembbris Cæsareus Minister Constantinopolim attigit, quem nostri e vestigio convenientes ei debita observantiâ felicem adventum sunt gratulati. Sermone deinde ad Redemptionem captivorum converto inter cætera significarunt, sibi & Redemptioni multis de causis permolestum & incommodum esse in Principis Valachiæ Palatio diutiüs morati. His auditis Cæsareus Minister eis in suo Palatio non tantum hospitium concessit, sed etiam ad quotidianum mensam liberaliter invitavit, quâ sanè gratiâ nostris tunc temporis nihil optatius accidere potuisset. Transvectis igitur per alveum sarcinis commodiorem in Perensi civitate subiérunt habitationem, ubi rebus suis & negotiis accurati vacare potuerunt.

Constantina-  
polis ipse  
Redempcio-  
nis.

III. Hæc inter molimina anno præsente in circulum revoluto successit annus CHRISTI millesimus septingentesimus decimus quartus, sub cujus statim principio Pater Redemptioni captivorum intentus maxima quotidie solicitudine ad marii litora procurrit captivos indagaturus, quos invida fors a Cæsareis ditionibus abstractos ad transtra damnaverat. Reperit ibi complures ex omnibus ferè Europæ nationibus. Miserabile spectaculum! videres isthic calamitosos homines catenis vinclatos, centonibus & lacerulis velatos, macie confectos, sole adustos, larvis denique quam hominibus similliores, quibus ater, durusque panis, & dimensum corrupti casei quotidianum viëtum præbebat; fabas enim grandiores, licet insipidas, si interdum nanciscerentur, aut orizam in bellariis habebant. Letus eis nuda & angusta tabula erat, ut ne quietem molestiarum expertem haberent. Hi itaque, ut P. Redemptorem confixerunt, moestissima simul vociferatione ac luftisono clamore, quó faxea etiam peitora ad commiserationem emollivissent, libertatem deposcebant. P. Redemptor cui integrum non erat

Apud Cæs-  
arem Minis-  
trum obli-  
noscit nullum  
hospitium.1714.  
Captivi in ut-  
terribus con-  
ditionibus maleri-  
bus.

Zzzzz

om.

1714.

Pater eis ele-  
moxynas di-  
stribuit.

omnes a tristissima servitute eximere, omnes tamen bono animo esse jussit, spoponditque, se operam daturum, ut, quotquot possibili foret, in libertatem afferentur. Interim, quoꝝ ærumnas suis fortius perferrent, & aliquò solatió recrearentur, eleemosynas inter eos viritim distribuit. Quocunque autem Pater iret, vel re-diret confessim accurrere ex ædibus Turcarum & Hebreorum mi-deplorantes, ac summis preciis redemptions efflagitantes. Conventum est de quorumdam lytris, & hi confessim libeti eva-ferunt. At plerique Turcarum sua mancipia distrahere renue-bant; imò & auditus est, qui diceret, malle se captivam, quam te-nebat, mulierem in centum dissecare frusta, quam noſtris diven-dere.

19. a triremi-  
bus redempti.

IV. Domus ampla censu conducta fuit, in qua redempti ex-ciperentur, & constitutâ in singulos dies annonâ alerentur. Tan-dem post frequentem negotiationem, & creberimos ad matis lito-ra cursus & recursus septendecim duntaxat viri, a triremibus pe-tuerunt eliberari: nam decimus octavus non Constantinopolis, sed in quadam navi ad Danubium nostrorum largitate remum cum pileo permutavit. Apud alios navarchos Turcicos Pater cru-cepulsam tulit, & si in ferociores incidisset, etiam violenter reti-fus, rejectusque fuit; mansuetiores autem illi fuerant, qui pro captivis pretium enorme indicabant, quô innuerent, sua man-cipia venalia non esse. Mulieres duas ab aliis Turcis emit, quibus subinde accesserunt viri quatuor pretiò pariter in libertatem affer-ti. Liberae tres aliæ mulieres Redemptionis beneficiorum cæteros in patriam comitari desiderabant, & voti compotes effecte redem-ptorum catervæ se adjunxerunt. Morabatur sub idem tempus Constantinopolis Vir Nobilis, nomen ei Pauli Galimberti, natus Mediolani, ætatis annorum septem & viginti ex Legione Pro-Regis Majoricensis Subcenturio. Hic a Mauris interceptus Alge-rium in captivitatem abstractus fuit, sed occasionem naectus clancu-lum evadendi, insalutatō herō suō Byzantium navigavit. Eò deli-tus apud Cæsareum Ministrum aylum invenit, & cum effictum discuperet patrias oras revisere, petiit & impetravit, ut fibi cum redemptis in Austria profici scilicet liceret. Duo igitur & triginta numerò redempti computabantur, qui Constantiopolis in unum agmen fuerant congregati; plures enim, quidquid etiam bonus Pater conaretur, obtineri nequibant; unde redire cum iisdem quantocyùs properavit, ut aliorum in Tartaria redemptioni pro-spiceret.

In omnibus  
33. Constan-  
tinopolis  
eliberati.Ad redditum  
in Moldaviam  
disponunt  
omnis.Cæsarei Mini-  
stri beneficen-  
tia.

V. Constantinopolis itaque discessurus septem aurigas cum totidem curribus mercede conduxit, quibus redempti & reliqui impedimenta Bukarestum deveherentur. Cæsaris Minister P. Re-demptori, Fratri Socio, & D. Galimberto singulos equos in via subfidiū donavit; Galimberto insuper pretiosam vescem, que Nobilem deceret Virum, addidit. Præterea Janizarum de sua cu-stodia, hominem notæ fidelitatis & viarum scientissimum pro iti-neris ductore assignavit, atque sic tandem die duodecima Februario-

poli

post grates Cæsareo Ministro pro receptis beneficiis persolutas 1714.  
P. Redemptor cum toto suo comitatu & redemptorum cetera  
iter in Valachiam auspicatus fuit.

VI. Hoc iter non usquequaque eis e voto cessit; nam præter alia multa incommoda, quæ regiones illæ passim secum ferunt, die decima quinta ejusdem mensis, cum vix biduum in itinere exegissent, sive ductoris negligentiâ, sive aurigarum incuriâ, sed vel maximè ob eorundem continuam temulentiam longius a via aberrârunt, non nisi vigesimâ tertiatâ ejusdem mensis in rectum tramitem reduceti, quo errore magnum temporis ac sumptuum fecerunt dispendium. Hæc tamen adhuc satis tolerabilia videri poterant, si illis conferantur, quæ secuta sunt; eadem siquidem luce post meridiem in oppidum Czalikava delati, cum dies nondum in vesperam declinasset, atque adeò aliquot adhuc milliaria, priusquam nox ingrueret, facili negotio emitiri potuissent, Janizarus viæ ductor, ab itineris erroribus lassitudinem causatus, ultra progredi noluit, & quamvis rogaretur, obfirmatō animo in hoc oppido pernoctare decrevit. Necesse fuit duræ cervicis homini parere. Ingreduntur hospitium ea nocte, ut opinabantur, commodiūs quieturi, sed omnia alia evenerunt, ut mox dicetur: Solvunt equos, ad stabulum ducunt, quod propè idem hospitium ex virgultis arundinibusque contextum pro illius regionis more consurgebat. Currus exonerabantur, arca, in qua Salvi Conductus testimonium, & reliquæ Redemptionis facultates asservabantur, in cubiculum subducitur, juxta quam P. Redemptor sibi lectulum humi stravit, ut insidias, quas sœpe barbaræ gentis avaritia Christianorum opibus struere solet, tempestivè observaret, ac eluderet. Redemptis in alia domo hospitium assignatur: Omnia rectè disposita videbantur, & securam noctis quietem pollicebantur: Sed ut sunt dubiæ, incertæque semper humanarum rerum vicissitudines, circa medium noctem, cum omnes altus sopor teneret, in proximo, de quo dimisimus, stabulo magnum exortum est incendium. Hoc primitus quædam redemptarum mulierum animadvertisit, visoque periculô actutum ad hospitium P. Redemptoris cucurrit, fores pulsavit, trepidaque voce imminens periculum nunciavit. Pater de somno expergesfactus, Hammis undique collucentibus, Fratrem Socium proximè dormientem excitat, omnique celeritate arca & quædam alia utensilia in agrum vicinum ad securitatem deferuntur, vocatisque ad restinguendum incendium redemptis, nostri rebus suis custodiendis assident. Conflagravit stabulum, atque cum stabulo nostri perinde, ac aurigarum equi concremati sunt; Domuncula tamen salvâ permansit, quæ P. Redemptori ea nocte hospitium præbuerat. Causam huic incendio dedit aurigarum ebrietas; ii partim Græci erant, partim Turcæ, de quibus Augerius Busbequius elegans rerum Turcicarum Scriptor ait: *Vini dulcedine illæ, cujus, quæ minorem babent copiam, eò sunt avidiores, eoque largius se ingurgitant, ubi semel contigerit babore.* Et paulò inferiùs hæc habet: *Vini potus Turcis magno erimi datur, præsertim aetate pro-vedetioribus: juniores enim majore venia & excusationis spe peccare*

Itineris erro-  
res.Incendium  
cum gravi-  
dam ab.De Turcarum  
ebrietate.Busbequius  
Epist. 1. de ren-  
bus Turcicis.

1714.  
Ridiculae op-  
siones.

confueverunt. Cum verò non minores pénas post banc vitam sibi para-  
tas arbitrentur, si vinum minimum biberint, quam si plurimum, ubi se-  
mel vinum gustaverint, potare pergunt: quod, oeluti pénas jam com-  
missas, peccent impunè, ebrietatemque in lucro ponant. Hujusmodi illi  
circà vini potum habent opiniones, & bis etiam absurdiores. Vidi sénem  
quendam Constantinopoli, qui, cum calicem simpliciter in manum, ut his-  
beret, magnos prius clamores edebat; rogati a nobis amici, cur ita fac-  
ret, respondebant, eum bis clamoribus communitam velle animam, ut se-  
reciperet in aliquem corporis angulum, aut proorsus emigraret, ne re-  
set ejus delicti, quod ipse erat commissurus, nec vino, quod infusum  
erat, pollueretur. Hæc Busbequius.

Dies sequitur  
calamitatem.

VII. Sed ut eò se referat, unde modicum digressa est, narra-  
tio, post ferale hoc incendium & illam miserrimam noctem nihil  
melior illuxit dies; P. Redemptor omnibus equis destitutus, quod  
se verteret, ignorabat. Aurigæ inconditis lamentis replebant athes-  
ra, quorum alii damnum deplorabant, alii suorum vir-  
tutes & præstantiam exaggeratissimis laudibüs in cœlum effe-  
bant, eorumque bustis parentabant, nemo autem de aliis fabri-  
tuendis, quod opus erat, solicitudinem habuit. Pater quocun-  
que pretiō alios equos comparare nitebatur, nullibi tamen vena-  
les reperiebat, imò ne pro mercede quidem locandos: inventa-  
men sunt bubali, quorum terra illa magnam copiam nutrit. Hi  
adducti, plaustrisque injuncti Patrem in proposito confirmarunt,  
adhuc eadem die ex hoc infausto oppido emigrandi. Sed accur-  
runt fustibüs armati undique Turcæ, nostros circumstant, & in-  
terminando Patrem fistere jubent, donec loci dominus cum No-  
tario adveniat, & in auctorem incendi inquireat. Interim P. Re-  
demptor cum suis omnibus sub arcta custodia detinetur. Post  
duos tandem dies adfuerunt delegati Judices. Inquiritur in aucto-  
rem incendi. Nemo hujus culpe reus haberi voluit: luce ante-  
meridiana clariū constabat, Turcicos aurigas suorum equorum  
majorem curam agere debuisse, qui unicè huic conflagrationi cau-  
sam dederant. Nostrorum innocentia adeò elucescebat, ut nemo  
eos hujus criminis insimulare justè auderet. Dum sic friget judi-  
cium, callidi Turcæ Patrem alio nomine in judicium vocant, & ob  
exustos in ejus servitio equos alios sibi emi postulant; neque fe-  
gniùs ipsa quoque vidua, cuius erat stabulum, damni compensa-  
tionem ab eodem Patre exigebat. Hic verò in aliena regione,  
& in medio nationis pravæ, ut novis jurgiis viam incideret, quo-  
rum inimici erant judices futuri, viduae quatuor aureis pro stabu-  
lo satisfecit, aurigis septem equos se empturum promisit, atque hoc  
pactō dirempta est lis. Curribus partim bubalos, partim equos, quos  
nancisci poterat, jungendos mercede conduxit, & ex oppido tota  
calamitatum feraci protinus excessit.

Pater damnata  
refarcire cogi-  
tur.Reliqua via  
item mittere.

VIII. Bubalus animal est tardigradum, constanter licet, len-  
tè tamen movetur, ideoque modicum progrediebantur: Superve-  
nit alia morarum causa, dum aurigæ de pago in pagum discurrunt  
equos venales requirentes, Turcæ præsertim qui, ut erant omnium  
bipedum nequissimi, pro strigosis, & vetulis suis equis in nuperno  
incen-

incendio concrematis eligebant sibi juvenes, robustos, indomitós-que, ac de pretio conveniebant, prout ipsis placebat, relicta Patri necessitate illud ex asse solvendi, ni majoribus se vellet implicare molestiis. Curribus juncti equi freno non assueti, sternaces, cal- citrosi & refractarii, cùm nemo vehiculum absque manifesto vitæ periculo insidere posset, eis necessitatem imposuerunt iter pedi-bus continuandi. Fuit hæc sanè calamitosa profectio, in qua mi- seris viatoribus ferreā opus erat patientiā. Ad Istrum delati rur-sus pro singulis redemptis in trajectu aureum nummum publica-nis pendere cogebantur. Tandem die quarta mensis Martii læti Bukarestum tenuerunt, gratias persolventes Numini, quòd de- sum vexationes Turcicorum aurigarum, quamvis non finè gran-di damno, suo evasissent.

1714.

## C A P U T XV.

*Altera Redemptionis pars in Tartariam dirigitur,  
eiusdem varii successus & finis.*

I. **P.** Redemptor, postquam Bukarestum pervenisset, salutato P. Gabriele ex Ordine Minorum, ab eodem comiter in ipsis angusto tuguriolo exceptus fuit. Pro redemptis Pater vici-nam domum mercede conduxerat eo fine, ut se absente a Religio-so viro spirituale caperent solatium, & occasionem haberent Missæ Sacrificiō assistendi. Præterea apud Petrum Grienerum, Principi a Latinis epistolis virum prudentem & nostris vetere amicitia junctum, pecuniam depositit, ut exinde singulis quotidie necessarium viētum subministraret. Accidit eo tempore, dum P. Redemptor cum Fratre Socio apud modò laudatum P. Gabrielem Cœnulæ assidet, ut præter morem æris campani sonus audiretur. Stupenti-bus illis & vehementer admirantibüs insolitæ rei novitatem nun-ciatur incendium exortum fuisse: illico relictâ mensâ foras pro-rumpunt omnes, ut viderent, quemnam locum ignis invasisset. Foras egressi conspexerunt palatium Principis, qui ea nocte adven-turus sperabatur, flammis obfessum totos ignium globos in altum eructare. Hæc illi dum mortis oculis intuentur, P. Gabriel ad P. Redemptorem conversus inquit: *malum omen pro nostro Principe.* Vaticinium in his verbis fuisse tragicus Principis casus altero sta-tim mense probavit, ut proximo capite memorabitur.

Acta Buck-  
resti.Redemptis  
Hospitium  
disponit & pe-  
cuniam pro  
fultentatione  
relinquit,Incendium in  
palatio Prin-  
cipis in omni  
finistrum ac-  
cigitur.

II. Sequente die ab adventu Principis Pater ad alloquium ejus admisitus exposuit Constantinopolæ Redemptionis successus; ad-didit præterea, sibi nunc decretum in ipso veris limine Tartariam adire, ut, cùm hoc tempore tam regionis indigenæ, quam captivi-eorum domi etiamnum hærere soleant, quotquot posset, a tri-stissimo servitutis jugo liberaret: rogavit autem Principem, ut redemptos recenter Constantinopoli adductos in suam intereā pro-tectionem recipere dignaretur, donec ipse cum ceteris, in Tat-taria redimendis, Buckarestum reverteretur, & utrumque agmen in patriam unā reduceret: mille verò aureos, quos tunc Principi

Alloquium  
Principis.

Aaaaaaa

trade-

1714.  
secundum  
Principi rea-  
da mirendam  
in Tartarium

Principis re-  
spontem.

Pater in Tar-  
tarum pro-  
ficitur.

Itinerarium  
per Valachiam

Preflami ho-  
spitio a Turcis  
expelluntur.

tradebat, fidis manibus committeret, eosque sibi prout necessitas postularet, aut in Tartarium submitteret, aut in adventum Rumanum tervaret, quibus usus esset his in redditu ad patriam sufficiendis. Hic Princeps Patri prosperos gratulatus est Redemptorismus successus, eumque laudavit, quod in Valachiam, prout in suo dictione promiserat, denuo revertus fuisset; Ispopondit autem se promptius, favore & auxilio promovendum, jussisque de submittenda pecunia sibi tantum, quod melius vitum fuerit, significare, pollicitus, se se operam, daturum, ut neque fidelitatem in ea custodienda, neque industriam in ea transmittenda desideraret. Alacriter ipse tur cœptis suis insisteret, Numen semper pios conatus adjuvare. His dictis faustas inter comprecationes a se invicem direxerunt, cesserunt, nunquam amplius in hac vita mortali se mutuo vitum, quod utrique tamen ignotum erat.

III. Rebūs in hunc modum dispositis Pater die octava ejusdem mensis Martii post meridiem quatuor militibūs stipatos cum Fratre Socio & interprete, cuius haec tenus fidelitatem, soleritatem, & laudandam operam benè multis argumentis compertam habuerat, Jassum ad Moldavorum Principis Regiam iter instituit. In hoc ille primam noctem *Gietzae*, (vicus est Valachia) tali comodi exegit. Sequenti luce post quatuor itineris horas angulum quidem sed profundum flumen transcantes in pagum *Slatam* per venerunt, indeque moventes circa noctem *Braffovo* oppidum atgerunt. Altera die fluvium, ubi Pater Antecessor ante aliquot annos cum tot gravibus periculis confuditus fuerat, ut memoravimus, magno licet metu feliciter tamē transmisserunt. Noctu in oppido *Ribnik* hospitium acceperunt. Undecima tandem Marti ingruente Vespera Fočiamum insignem & postremam Valachie civitatem ingressi sunt. Hanc urbem *Pudna* Ruvius alluit, in cuius ulteriore litore Moldavorum iurisdictione incipit: unde etiam limitaneus ejus gentis Praefectus constanter ibi residet, cui nobis Religiosi litteras Principis Valachie detulerunt. Et ille, ut pondus eas apud se habuisse offendere, ipsis contestim hospitium affligit, ad quod divertentes, cum se fatis securos autumarent, cœptib[us] eadem nocte supervenerunt Turci ciuitatores, qui infando clamore excitatos nostros domo exturbant, sarcinas corum in planteam ejiciunt, & hospitium violenter occupant. Non latebat hec illata injuria Praefectum, ideoque unum ex suis satellitibus ad Patrem misit, & per eundem frigidiusculè quæsivit, quid ultius mandaret? cui Pater; non cum sibi animum esse, ut mandare quidquam præsumeret, respondit, rogare se tantum, ut sibi hospitio expulso teatum, & focus pro coenula paranda concederetur. Sed Praefectus haec omnia susque dèque habuit, ut prouide cum suis algens sub dio & incornatus eam noctem exigere coadūgauerit, imò & frequenti die in eodem loco sublittere debuerit, quod alios subsidiarios equos, priorib[us] jam renūssis, reperire hand posset. Hac nimicum civitate in ipso statum Moldaviae ingresso monstri fuerunt excepti, quamvis commendatitius litteris adve-

advenierint. Verum Valachorum Principis Auctoritas hic loci jam viluerat, quæ post breve tempus prorsus concidit, ipso Principe a Barbaris crudelissimè trucidato.

1714\*

IV. Ex hoc tempore nostri crebrioribus ærumnis conflictari coepunt, & calamitas in orbem continuè ibat & redibat, altera post alteram succedente miseria; nec tamen ideo animos desponderunt, aut timidè malis cesserunt, cum ea, quanto densius ingruunt, tanto plerumque uberiorem Redemptionis fructum spondeant: scilicet Redemptoribus ad exemplum CHRISTI, summi Redemptoris, variae tribulationes nunquam diu defunt. Igitur die decima tertia Martii excusso pedum pulvere locum inhospitalem & terras crudeles egressi tota illa die per loca deserta & vastas solitudines regionis illius perrexerunt, noctu vero in desolatum pagellum, *Nieguiet* dictum, venerunt, quem Tartari non pridem, incolis in sylvas dilapsis, igne ferrisque vastaverant. Domus ibi ab invicem procul erant distante, & cubicula barbarorum more sub terra defossa, humo innitebantur tecta, stramine vel arundine obducta, quæ Tartari reliqua fecerant & intacta. Vasa vino plena passim & in exultis domibus, & in compitis neglecta reperiebantur, rariss & in latebris se occultantibus hominibus. Nullus erat ibi puteus: cisterna, unde aqua petenda, procul inde sita nunciabantur. Pater nemine obsidente sibi hujusmodi subterraneam cavernam pro imminentis noctis diversorio elegit, equis in pascua dimisissis, quæ terra, gramine luxurians, lætissima præbebat. Parata levi coenula, dum accumbunt, Pater in se non obscura notat febris indicia, secutus acrior paroxysmus per totam eam noctem tenuit, nihilominus sub ortu auroræ omnes consurrexerunt, & per vastas rursus solitudines iter sunt prosecuti. Advesperaiente tandem die coæsti sunt in oppido *Berlat* subsistere; ibi enim & ipse quoque interpres ægrotare coepit. Cedendum erat necessitati, & bividi moræ in hoc loco faciendæ. Recuperatis utcunque viribus inde rursus moverunt, & circa noctis crepusculum die decima septima Martii in pagum *Vaslin* pervenerunt, ubi rursus quatuor subterraneas cavernas, solita nimirum gentis illius tuguria, conspicientes, earum alteram ingressi ibidem pernoctare constituerunt. Sed dum accenso foco circumfusi frigida membra recreant, novum incendium exortum fuit, quod cum Fr. Dionysius eventurum facile prævidisset, atque adeò aquam in hunc finem jam prius præparasset, malum nondum adultum absque ullo graviore damno in ipso statim initio oppressum fuit. Sequenti tandem die Jassium primariam Moldavorum urbem & Principis Regiam sunt ingressi: quamvis autem febrium intemperies nihil remisso furore in Patrem ejusque interpretem seviret, læti tamen urbem intrarunt, quod sperarent, se hic demum remedium aliquod ad pertinaciam mali inclemantium edemandam reperturos. Cæterum Jassium delati ante omnia adventus sui causam Principi significarunt. Erat is Nicolaus Maurus Cordatus, gente Græcus, filius Mauri Cordati olim Ottomannicæ Portæ Interpretis, cuius nos superius jam mentionem fecimus. Princeps remisso ad Patrem

Redemptori-  
bus nunquam  
definit tribu-  
lationes.

Pater febrie-  
tat.

Interpres ne-  
grorum.

Incendiī perfe-  
culum auto-  
rettione.

Jassium per-  
veniunt.

Princeps Mol-  
daviae quis?

1714.  
Eius benevo-  
lentia.Incommo-  
dum ægris ho-  
spitium.In aliam do-  
mum mi-  
grar.Principis allo-  
quium

nunciò eum benè venire & salvere jussit, hospitium assignavit, vi-  
 ctitalia ex publico constituit, jussitque petere, si quid preterea  
 desideraret, pollicitus, se ejus votis promptè obtemperaturum.  
 Introducuntur itaque a Principis Ministro ad novissimam domum  
 omni apparatu & re mobili destitutam, nec fenestræ munitam, &  
 propterea solis constantem muris, ventis undique perviam, omni-  
 busque aëris injuriis expositam, quò nihil perniciösus ægrotis ob-  
 tingere potuisset. Huic incommodo, ut aliqualiter Pater obviaret,  
 chartas conglutinavit, quibüs fenestras obduceret: sed hoc idem  
 fraudi fuit Patri; nam mulier, anus, ædium domina videns, quid  
 ille ageret, cùm cerneret interpretem febribüs æstuantem, &  
 ipsum quoque P. Redemptorem e præterito languore totum ex-  
 sanguem, pallidumque, ambos pestilentî morbô laborare supica-  
 ta est: unde infano clamore excitato diris omnibus Principis Mi-  
 nistrum devovit, quòd homines epidemica lue infectos suæ domi-  
 induxisset, quorum contagiosus morbus sibi suisque liberis extre-  
 mam effet perniciem allatus. His illa lamentis aërem replevit,  
 nec priùs vociferari desit, donec Pater cum suis in aliam domum  
 migrasset. Sed quamvis hōc factō domicilium mutaverint, æru-  
 mnas tamen non mutaverunt; etenim in altera domo, quam in  
 habitandam acceperant, nihil præter unicum cubiculum inventa-  
 runt, in quo ad misériarum cumulum jam aliis infirmis decumbe-  
 bat, ut proinde tuguriolum illud a nosocomio nihil differret, cu-  
 jus angustos terminos tres morbidi occupabant. Cæterū ad  
 nostros curandos missus fuit Principis Medicus, recutitus Hebræus,  
 cuius operâ post dies quindecim convaluerunt.

V. Recuperata pristina sanitate P. Redemptor Principis allo-  
 quium illico expetivit, votique compos effectus grates rependi  
 pro acceptis beneficiis, Augustissimi Nostri Cæsaris CAROLI VI.  
 Epistolam sinu depromptam Principis manibus consignavit, eun-  
 dæmque, ut Redemptionis negotium suo favore velit provehere,  
 obnixè rogavit. Princeps allatas litteras singulari erga Romanorum  
 Imperatorem reverentiæ testificatione recepit, opem omnem &  
 benevolentiam nostris non solum verbis spopondit, sed etiam  
 opere præstítit; tres enim Epistolas, unam ad Benderensem Præ-  
 fectum, alteram ad ejus urbis Thesaurarium, tertiam ad quendam  
 Turcarum Magnatem, amicum suum, jussit exarati, queis nos,  
 nostrumque negotium emphaticè commendavit; & ut suum er-  
 ga Redemptionem captivorum studium testatiū redderet, P. Re-  
 demptori triginta Leoninos in viaticum præbuit: præterea cur-  
 rum & equos in viam, ac pro itineris securitate sex milites suos  
 designavit. His feliciter peractis nostri post gratias prolixè perso-  
 lutas Principi valedixerunt: Hic verò plurium Procerum in co-  
 mitatu eos a se dimisit, nihil certè in se desiderari passus, quæ ad  
 Urbanitatem & benevolentiam pertinent. Igitur quartâ mensis  
 Aprilis ab omnibus aliis curis expediti iter in Tartariam sunt au-  
 spicati, eadēmque die fluvium *Prut* feliciter trajecerunt, idque tan-  
 to majori celeritate, quod ex Principis præviō mandato navis  
 ibi jam in procinctu staret ad nostros quamprimum transportandos.  
 Inde

Indè post sex horas attigerunt vicum *Refina* prope amoenissimum nemus situm, ubi etiam pernoctarunt. Sequenti die *Kolleraſſ*, & septima ejus mensis *Kiſčbnam*, quod postremum est Moldaviae oppidum post se reliquerunt, ac tandem octavâ Benderum ingressi fuerunt.

1714.

VI. P. Redemptor traditis Epistolis, quas secum a Moldavorum Principe ad diversos Turcarum Primores attulerat, omnia satis ad votum habuit: Exiit autem mandatum a loci Gouvernatorre, ut nostra negotia finē cunctatione expedirentur: hinc libellorum Magister Salvum Conductum & scriptam facultatem emendi captivos ipsis concinnavit, pro qua tres Leoninos eos solvere oportuit. His litteris impetratis actutum Kausanum, celebre Budzianensis Tartariæ oppidum adiverunt, Redemptionem captivorum ibidem auspicaturi. Exhibuerunt itaque Kausanensi Praefecto obtentam in scriptis facultatem captivorum Redemptionem liberè exequendi. Verum ille, qui gente Tartarus erat, respondit: Benaderensibus Turcis fas non esse imperium sibi aliquod in hac urbe arrogare. Irent itaque ad ipsum Tartarorum Chanum, & ab eo hanc facultatem efflagitarent. Pater, ut effrontem hominis impudentiam retunderet, ipsas quoque Magni Sultani Litteras in medium produxit; Sed Tartarus, qui frontem pridem perfricuerat, revereri se quidem, respondit, Sultani Litteras, opus tamen esse alia quoque Tartarorum Regis facultate, qui Jus hic solus diceret. Difficile videbatur Partri Tartarorum Chanum, Kiliæ ad ostia Danubii tunc existentem, adire, cum hoc iter non solum magnos sumptus requireret, verum etiam ingentia pericula minaretur, quin tamen spes certa affulgeret desideratam licentiam impenetrandi: satius igitur, utiliusque putavit, objectâ aliquâ offulâ Praefecti avaritiam placare, quam decumanis sumptibus dubium rei exitum venari. Tartarum idcirco Praefectum affatus dixit: sibi quidem esse magnam fiduciam, si Kiliam profici sci vellet, a Chano impetrandi desideratam facultatem, utpotè, cui Ordo & Ordinis Institutum pridem ex pluribus nostris in Crimeam expeditionibus innotuisset, fieri autem posse, ut ipse nunc Kiliam profectus, ibidem meliorem opportunitatem captivos redimendi nancisceretur, nec amplius Kausanum reverteretur, atque adeò ipse Praefectus lucro aureorum, qui pro singulis capitibus in telonio pendi solent, frustraretur: ejus itaque maximè interesse, ut Redemptio in hac civitate perficeretur. Evidem Pater magno verborum pondere causam suam egit: surdo tamen fabulam cantasset, nisi verborum argumenta aliquot aureis duplicati ponderis fulcivisset; horum enim blando fulgore delinitus Praefectus ejus precibus & rationibus confessim annuit, & Redemptionem inchoari permisit. Redempti sunt aliqui, & in conductam mercede domum missi, eorumdémque numerus quotidie augebatur. Crevit exinde avaritia Praefecti Tartari, & degustata semel auri dulcedine, quatenus Patri plures ejusmodi bolos extorqueret, ei injunxit, ut unâ cum Redemptis pro impenetranda facultate Kiliam ad Tartarorum Chanum proficiseretur. Ingratum hoc mandatum Pater aliò rursus

Redemptio-  
nis successusKausani op-  
positio.Alia exco-  
tantur reme-  
dia, sive con-  
filia.Kausani ha-  
bet initium &  
finem Redem-  
ptio.

B b b b b b

mu-

1714. munusculō sibi duxit evertendum, quod dum versutē facit, novas rursus inducias obtinuit.

Duo Tartari  
Redemptionis  
proxentia.

78. captivi in  
Tartaria redi-  
muntur.

Pater clam  
Bukarestum  
redit.

VII. Interea Akierman vetus noster proxeneta Tartarus, qui aliis in Redemptionibus hic locorum nostris utilem in conquitionem meriturus cum alio quodam Tartaro amico suo ad P. Redemptorem se contulit, cui adventus eorum gratissimus fuit. Post igitur temporis compendium facturus jussit, ut equis regionem aceleriter ambo percurrent, & inventos captivos Germanos, sive alios ex Cœfareis Provinciis oriundos Kausanum adducerent, paœta in singulorum capita totidem Leoninorum mercede. Lætiniam indagandorum captivorum causâ pervagantur; deinde vero ad ipsa planè Crimensia claustra pervolant, & captivos cum heris eorum adducunt, quibūs æquō pretiō redemptis illi stipulatos Leninos recipiunt, lucrīque cupiditate ille&ti alios atque alios investigant, confessis ferè in singulos dies de aliquorum lytro tractibūs. Trium igitur mensū intervallō redemptis septuaginta octo captivis, & pro singulis ad telonium aureō nummō persolutō Redemptio finem habuit. Ne autem Pater captiosis Tartarorum artibūs rursus circumveniretur, ille quasi aliud agens priemissis redemptis occulte cum Fratre Socio, & Interpreti regionem excēdit, & per viarum compendia Bukarestum in Valachiam, omni, quā fieri poterat, celeritate contendit, ibidēisque novum redemptorum agmen veteri turbæ aggregavit.

## C A P U T XVI.

*Redempti Viennam ducuntur, ubi aliquot utriusque sexūs infantes in captivitate nati baptizantur, aliaque memorabilia, quæ sub idem temp̄ acciderunt, recensentur.*

Congregati  
omnes re-  
dempti sunt  
III.

Repetit depo-  
stum.

Dolet de sha-  
z. Principis  
infando casu.

In bibliotheca  
Magnæ Legi-  
tensis p. 345.

I. Tribūs hactenus mensibūs Pater Bukarestō abfuerat: unde ut suos, quos ibidem reliquerat, citius reviseret, adscitis pro itineris securitate Turcīs militibūs ingenti festinatione ad hanc urbem properavit, magnōque solatiō suō omnes ibi sospites incolumēsque reperit, qui adventitiis adjuncti catervam undecim supra centum capitum constituerunt. Hos itaque ut in patriam unā simul reduceret, mille aureos nummos, nuper apud Constantinum Brankovanum Valachiæ Principem, singularem Fautorem nostrum, pro ulteriore viatico depositos, repetere decrevit; verū non sinē magna animi sui confternatione audire debuit, eundem Principem exauētoratum, & cum universa Familia sua Constantinopolim ad septem Turrium claustra deportatum fuisse, palatium direptum, imo & ipsam vitam ejus ex ancipiti pendere, quam & reapse paulò post amisiit decima quinta die mensis Augusti, cum omni ferè sua familia jussu Magni Sultani obtruncatus, de quo Cornelius Drieschius in descriptione septem Turrium ita loquitur: *Valachia Principem Constantinum Brancovam, qui Princeps*

Principatum per sexdecim annos consequenter tenuit, ac nuper tam atrocis pœnæ dedit cum universa familia sua ob commercium cum Moscovitis belli tempore habitum, tribus filiis atque unâ filiâ Patris in conspectu cœsis, nemo ut remaneret ex ista gente infelicissimi Principi, qui patriam deinceps mortem ulcisceretur, inde eductum (e carcere nimirum septem Turrium) nonnulli ferebant eo die, quo Caroli XII. Suecia Regis Orator Sultani ad alloquium ductus fuit, ut non decesset barbara crudelitatis imago, quæ pulsus Ditione sua Regem, jam inter ipsas viuentem, officii admoneret in Legato. Hoc infastò nunciò *velut fulmine* iecit P. Redemptor non solum de mille aureis, necessariò suorum viatico, sed simul etiam vel maximè de sinistra optimi Principis sorte ingemuit. Inquisitus igitur, qualiter hæc inopinata revolutio evenerit, Petrum Grienerum, qui ex auditorato Principi a secretis fuerat, accessit, & deplorata tanti Principis calamitate, cuius tenuem & obscuram aliquam famam jam in Moldavia accepérat, scilicetatus est, quid demum de suo mille aureorum deposito factum fuisset? Petrus Vir prisci candoris & probitatis Patrem solatus respondit, pecuniam omnem salvam esse, & inviolatam, cuius ipse custodiam suscepisset, priusquam Princeps abduceretur. Atque hoc dicto aureos e loculis depromptit, eisque P. Redemptori memoranda fidelitate restituit.

Depositorum  
recipit.

II. Accepta pecunia Pater non diu Bukaresti restitit, sed causis atrocitate percusus rebüs suis, prout licebat, dispositis protinus in viam se dedit, superatisque altissimis montibus in Transilvaniam delatus tam Cibinii, quam Albae Juliæ, quæ nunc Carolina dicitur, a Patribus Societatis IESu omnibus humanitatis officiis exceptus est: singularem autem devotionis pompam ii Patres Claudiopolis in adventu Redemptionis adornarunt, quam in seram posteritatis memoriam hic referendam duximus, ut tantæ beneficentiae, nostræque gratitudinis perpetuum monumentum extaret. Octavò Kalendas Julii, qui dies S. Joanni Baptiste faceret, Claudiopolim nostri pervenerunt, & incredibili hilaritate ac charitate a P. Rectore aliisque ejusdem Collegii Patribus, cum quibus eis jam prius familiaris amicitiae necessitudo intercesserat, excepti fuerunt, assignatō nostris Religiosis hospitiō in ipso Societatis Collegio, Redemptis verò in suburbano prædiolo ad idem Collegium pertinente, ubi etiam eorundem Patrum beneficentia liberalem cœnam habuerunt. Insigniter autem lætati sunt viri illi Religiosissimi, quod nostros post unius anni periodum, post tot emensa itinera, post tot exantlata pericula sospites tandem ad se redivisse conspexerint. Altera post festum S. Joannis die ipsi præclarò argumento affectum suum erga Redemptionis Institutum comprobarunt; coacta siquidem magna Scholasticorum, Nobilium, Civium, aliorumque utriusque sexus hominum multitudine cum labaris & vexillis redemptorum agmini extra urbis portas obviā prodiverunt. Ibi cunctis in suos ordines digestis supplicatio hoc modò processit. Agmen duxit Fr. Dionysius, P. Redemptoris Socius, expansum Redemptionis vexillum preferens; hoc enim in ipso etiam itinere primo vehiculo infixum Redemptionis in

In Transilva-  
niam iter in-  
stituit.

In signis supplici-  
catione Clau-  
diopolis & PP.  
Societatis Re-  
demptio real-  
pirat.

1714.

Supplicatio  
sive ordo.

patriam redditum significabat; Fratrem tamen præcesserat more militari Tympanotribus a nostris in hac expéditione redemptus, qui per viam in oppidis signum profétionis dare solebat, & ex hospitiis secundò signo evocabat. Fratrem excipiebant utriusque sexus parvuli & minor etas, præcedentibus pueris, sequentibus pueris, matribus, & reliquo foemineo sexu: harum vestigia premebant viri redempti. Postremus post omnes redemptos incedebat P. Redemptor parvam CHRISTI crucifixi imaginem in manibus regens. Hoc ordine postquam ad urbis portam pervenissent, ubi tota interim supplicatio Redemptionem exceptura subfiterat, P. Rector sacris induitus ornamenti Hungarico idiomate doctissimam exhortationem orditus super illa verba ex Apocalypsi S. Joannis Apostoli & Evangelistæ, quibus interrogavit: *Qui sunt hi qui venerunt?* sibique ex eodem contextu respondit: *Hic sunt, qui venerunt ex magna tribulatione.* Hæc postquam ad animorum motum non minus eleganter, quam eruditè explicuisset, ita, ut tenebris sensus Auditores etiam in lacrymas resolverentur, Sermonem tandem illis verbis concluisset, queis Moyses Israëlitici populi e captivitate Pharaonis Redemptor mysticum suum Canticum inchoavit: *Cantemus Domino, gloriore enim magnificatus est.* Finita Concione Tubæ, ac tympana insonuere: Supplicatio verb inde movens inter dulcisonos musicorum concentus ad principem urbis Ecclesiam lento gradu perrexit, spectatoribus omnibus ingenti solatiæ delibutis, cum viderent tantam pauperum Christianorum multitudinem tristissimæ servituti creptam, & avitæ libertati postliminiæ restitutam fuisse. Ad extremum postquam tota supplicatio Templum Religiosissimorum Patrum Societatis IESU subvivisset, idem P. Rector ad innumerabilem populi multitudinem, quæ rei novitate excita confertim accurrerat, alteram fecit exhortationem, in qua Divini Numinis beneficia, & veterem Sanctæ Matris Ecclesiæ morem per Ordinem Religiosum in captiuis redimendis hucusque continuatum copiosissime collaudans ipsos etiam catholicos in admirationem tam insignis Instituti rapuit. Finito sermone ejusdem Collegii P. Minister in honorem Sanctissimæ TRINITATIS Missæ Sacrificium solemni ritu decantavit, sub cujus cursu sex redempti e Transilvania oriundi Calvinum, & septimus Lutherum ejuraverunt, ac emissa Catholicæ fidei professione gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ aggregati sunt, quod etiam alii novem ex iisdem redemptis præstiterunt, qui in iisdem erroribus nati, edocatique hac occasione ad saniores mentem rediverunt. Propretam uberes animarum fructus tanta subsecuta est piorum omnium lætitia & exultatio, ut consonis vocibus in laudes Divini Numinis proruperint: Captivi verò finitis sacris in facello convenerunt, ubi prodigiosa Beatæ Virginis DEIPARÆ Imago magna religione colitur, salutatique Reginâ coelorum in suburbanum hospitium suum concederunt, ibidemque liberalitate Illusterrimi Comitis Andreoli largis epulis excepti fuerunt, aliis quoque opulentioribus civibus per eos dies Nobilissimi Viri exemplum imitantibus.

III. Pridem P. Redemptor typis impressa testimonia, ut redemptos

Prima exhortatio.

Apocal. 8.

Exod. 15.

Seconda exhortatio.

Solemnitas.

Ad Catholicam fidem conseruare.

Divina Virginis Sacellum.

Ad ecclesias invicem.

redemptos ex Transilvania & Hungaria oriundos in patria eorum statim dimitteret, Viennæ sibi transmitti postulaverat; id enim Excelsum Viennæ Regimen aliás monuerat, quemadmodum superius insinuavimus. Nostri Viennenses nihil cunctandum ratí petitæ testimonia tempestivè ad Excellentissimum Steinvilleum destinârunt, ut ea P. Redemptori, Claudiopolim adituro, traderet, quod etiam ille præstítit. His igitur obtentis Pater Transilvanos, quos secum adduxerat, viatico donatos, & hujusmodi testimoniò instructos ibidem dimisit, monitos, ut assidue pro Benefactoribus piis ad DEUM preces funderent. Idem in Hungaria fecit cum Hungarîs: cæteros verò natione Germanos apud se retinuit, atque cum illis Illaviam primò, deinde Tyrnaviam, & Possonium profectus est, morâ unius diei in singulis nominatorum locorum eis concessâ, ut attritas itinere vires brevi quiete restaurarent, & in nostris Cœnobiis lautiùs reficerentur. Viennam denique die decima Sextilis in S. Laurentii Levitæ & Martyris Festo delatus, quo tempore Augustissimus Imperator æstivum Palatum extra urbem incolebat, apud Patres Ordinis Eremitarum S. Augustini ad Sanctorum Sebastiani & Rochi Cœnobium cum toto agmine substitit, ut Religiose nostræ Communitatis adventum operaretur. Hæc pio more ei obviâ effusa redemptos captivos in forma Supplicationis & ritibûs, alibi frequentiùs jam descriptis, per Portam & vicum Carinthiacum ac forum Herbarium trans Portam Scotensem in nostram Ecclesiam deduxit, ubi sermonem ad populum habuit P. Joannes a S. Agneta. Cætera more solito peracta fuerunt.

IV. Hac occasione in Turcia & Tartaria fuere redempti ex Austriaca natione quinque & triginta, ex Hungarica & Transilvana septem & viginti, ex Bohemica decem: reliqui e diversis Domus Austriacæ hæreditariis Provinciis, aliisque Germanicæ Regionibus ortum traxerunt. Nec illud prætermittendum; undecim inter eos fuisse numerô, qui, ut plurimum in Tartaria a parentibus Christianis prognati, Baptismatis Sacramentô caruerunt. Hi Viennam delati, postquam in sacris Catholicæ fidei mysteriis probè instituti fuissent, in festo S. Bartholomæi Apostoli proprio præsente Parocho a Reverendissimo & Illustrissimo D. Offendio Virziresco Episcopo Aladiensi, & per Transilvaniam apud Armenos Vicario Apostolico in nostra Ecclesia baptizati sunt; Patrinis ad sacrum opus certatim se offerentibûs, qui eos & in suam clientelam receperunt, & in officiis Christiani hominis solicite eruditiverunt, ac bonis artibûs instrui curârunt, donec ipsi suis laboribûs honestè se sustentare potuissent.

V. Postremò omnia redemptorum captivorum nomina, adscriptâ cujusvis patriæ, ætate, captivitatis annis, & lytrô, typicis formis in amplio folio excusa Augustissimo Cæsari CAROLO VI. nuncupata fuerunt. Folium illud præter alia ornamenta in capite hoc chronographicum præferebat: CAROLVS. IMPERIO DAT IVta LatIno. Cui deinde ipsa Dedicatio sub juncta visebatur in hunc modum:

Ccccccc

1714.  
Transilvani &  
Hungari cum  
Testimonio  
dimittuntur.

Illaviam, Ty-  
naviam & Po-  
sonium tran-  
seunt.

10. Augusti  
Viennam per-  
veniunt.

Ex quibus  
præsertim na-  
tionibus re-  
dempti.

Parvuli in  
Tartaria nati  
baptizantur.

Nomina re-  
demptorum  
in tabula Cæ-  
sari dedican-  
tur.

An-

1714.

*Augustas ex Oriente merces & aduentos Fructus Augusti mensis hac peracta decima sub Gloriosissimis Aquilarum Aufficiis praesenti Redemptione Decimis Jure optimo Tibi deserimus CAROLE CÆSAR AUGUSTISSIME: Merces sunt, & quidem omnizem mā pretiosiores, utpotè Anima CHRISTI Sanguine redemptæ, in quibus insuper ipsa Divinitatis ab Omnipotente Creatore expressa Imago, Christianique Nominis impressus Charakter. Fructus patriter sunt Apostolici, dum tot ab Ottomannicæ Portæ seris lupis de pascuis Dominicis abstractæ oves ad Ovile CHRISTI reducuntur, quinimo nonnulli eorum, licet a Christianis parentibus progeniti, in Cimmeriis tamen tenebris procul a Fidei lumine nati Sacro adhuc Baptismatis Lavacrō & Gratiâ privati, Filii iræ propediem salutari Fonte in CHRISTO regenerandi, salutis & Gratiæ adiunt Candidati, in barbaram feritatem, Christianique nominis & Sanguinis perniciem alias educandi. Hi Fructus, ha Merces SACRATISSIME IMPERATOR, ha Decima, hec omnia Tua sunt, Tibi illi suam post vincula, post carceres debent Redemptionem, post servitutem Libertatem, post naufragium Portum, post exilium Patriam. O Felix Caterva! O tärque quatérque Beati! Quibus, post tot annorum prolixam seriem, post tot terrā, marique errores & pericula, tandem DEI mirabili Providentiâ Maximum CÆSAREM in portu, in pace, in patria concessum est intueri & venerari. Nunc supplices nobiscum ad DEUM tendite palmas bene precantes Optimo Principi, ut pro Patribus suis ei nascantur Filii, Hæreditas Sancta Nepotes Eorum. Annuat DEUS! Vivat, Vigeat, Floreat Optimus CÆSAR.*

## C A P U T XVII.

*In Ponte Pragensi super fluvium Moldavam erigetur Ordinis nostri Monumentum.*

Pragensis Pon-  
tis celebritas.

Pontis Condi-  
tiones.

I. **D**raga Regni Bohemiæ Metropolis tribūs, quas unō gremiō complectitur, urbibūs superba, sacrī ac profanis ornamentis clarissima, plurimis denique venerandæ antiquitatis monumentis & recentioribūs structuris undequaque spectabilis firmissimo Ponte gaudet, octingentis & sexaginta ulnis longo, atque octodecim passibūs lato, quem decem & octo ex quadrato sectoque lapide inter se commissi arcus magnifice suffulciunt. Emergit autem ab urbe vetere, tumidisque Moldavæ fluctibus securè insultans ad parvam (ut vocant) Partem, quæ magnis civitatibus equiparari potest, procedit. Primus in lignis hujus operis Author S. Wenceslaus Dux Bohemiæ ac CHRISTI Martyr fusile perhi-



Monumentum Lapidatum Ordinis XX. TRINITATIS Redemptoris sancti primi  
in Ponte Bragano supra Moldavam cum ceteris Sanctorum statutis Augustae  
Illustrissimi Domini D. Iannis Francisci Comitis de Thun positi anno MDCCXIV

perhibetur, ligneo ponte stramque fluminis ripam ostendens, quem lapidem temporis Carolus IV. Romanorum Imperator de ornanda natali urbe mirè semper sollicitus anno Domini millesimo tercentesimo quinquagesimo septimo magnis sumptibus, nec amissione arte in lapideum commutavit. Exinde post annos sex & viginti S. Joannes Nepomucenus Metropolitane S. Viti Ecclesie Pragensis Canonicus, Joanne Pissime Imperatrici & Regine ab Ecclesiis & Sacris Confessionibus ob assertum Sacramenti Preservantur Sigillum iusti Wenceslai Imperatoris & Regis Bohemiae, Caroli VI. Filii, ex eodem ponte in preterfluentem jactatus, & quinque coruscis flammis inter undas manifestatus illum locum suò Martyniò clarissimum reddidit. Ab hisus Sancti Martynis excessu post annos trecentos Liber Baro Mathias Wunschvicensis e regione ejusdem loci, quo Gloriosissimus hicce Martyr (ut constat traditione fertur) noctu a satellitibus Wenceslai fuit deprehensus, & eum statuam octo pedes altam utrumque basi innixam, & opere angelico ornatam in honorem ejusdem Sancti posuit anno CHRI-  
STI millesimo secentesimo octogesimo tertio.

II. Successu temporis alia plura e laxe sculpta varios oculives, aut mysteria sanctæ nostræ Fidei referentes circuicato accesserunt, que in hoc ponte excitata tantum ei decus & elegantiam conciliant, ut vix alias totius Europe pons ei conferri possit; duxerunt enim in ejus utrinque Iorica octo & viginti admirande molis & artis monumenta, a quibus recensendis ob prolixitatem supercedeo, prefertim quod scalpro seni incisa passim jam in plurimorum matibus versentur. Itud tamen a me impetrare nequeo, ut non saltè breuem descriptionem illius Statue subjiciam, que magnificentissimo schemate in honorem facri Ordinis nostri inuidem confracta oculos intuentum minifice parat. Eius autem forma ita est comparata. In vertice sacre hujus molis triquetra figura ex aere cyprio sua auróque undique largè obducta prominet, Nomen Tetragrammaton seu inscrutabile Sanctissime TRINITATIS Mysterium exhibens, facri nostri Ordinis Titulum. Eadem materia & splendore constat diademata, que Sanctorum capita ambient, eorumque nomina simili aere expressa & auró oblitata efficiunt. Ad dexteram supra faxum consurgit Sanctus Pater Noster JOANNES de MATHA una manu librum & Doctoris Patiens insignia complexus, alteram manum pro Redemptione captivorum refertam, & compedibus onus tam protendens. Ad partem sinistram rupibus insedit S. Ivanus Anachoreta, crucem complicatis matibus in speciem meditantis confingens: ad ejus pedem dextrum jacent sceptrum & corona, Regie Stirpis indicis; ad sinistrum procumbit cerva, ejus alumna, telo confixa, ut infelix in epitome ejus vite explicabitur. Porro Sanctus Pater Noster FELIX VALESIUS paulò demissiore locum occupans dexterâ mano finuofam umbellam tribus scutis ornatam attingit, quorum primum & reliquis eminentius Angelicam Sacri Ordinis nossum revelationem representat; secundum priori a parte dextera inferius subiectum insignia, tertium vero in latere sinistro nomen

1714.

S. Joh. Ne-  
pomuc. Inst.  
Martyri.Eduardus San-  
cti Martyni.Pater M. Pa-  
tricius.Tullem ocul-  
is Ordinis  
nostri Manu-  
sum.

1714. Fundatoris tali artificio contractum exhibet, ut simul etiam chro-  
nographicum hujus anni exprimat, quod dicta statua ejus sumpti-  
bus surrexit: Joann. Franc. Ios. e ComitibVS De ThVN FR.  
Propè juxta fontis scaturiginem turgidum caput cervus erigit, cu-  
jus inter ramosa cornua crux rubri cœruleoque coloris fulget. Hæc  
dexteram manum Sancti Patris Nostri FELICIS circumstant, qui  
sinistra manu Christiano ad genua demisso manicas exsolvit.  
Secundum ejusdem pedes Regalia Insignia, Corona nimirum Sce-  
ptrumque, conspicuntur, Regiam ipsius progeniem denotantia.  
Captivorum ergastulum pro totius operis basi servit, & ex una  
parte annum præfert hac chronica inscriptione: Liberata a Con-  
tagione patria, & ConCLVsa CVM gallis paci. Ad carceris  
ostium, Christianis captivis opem exinde poscentibus, ferrea cra-  
te obseratum, Turca oblongis myaftcibüs horridus, ut apud bar-  
baros est barba militaris, dexterâ carceri incumbens, sinistrâ ve-  
rò hastam in tergus reclinans, canisque odio illatrans pari vigi-  
lantiâ excubant.

*Situs loci, Sta-  
tuarius &  
Fundator.*

*Dedicatio.*

*Diversarum  
Iconum in-  
scriptions.*

III. Hic itaque obeliscus, sive facer Colossus quatuor & vi-  
ginti pedes longus ac tredecim latus, Opus est Ferdinandi Bro-  
koff Statuarii Pragensis, primumque locum in Ponte a latere dex-  
tro obtinet, quæ ex Parva Parte sive minore Civitate in Veterem  
Urbem transfitur; sumptibus non modicis & industriâ Illustrissimi  
Domini Joannis Francisci Josephi Comitis de Thun eximii Ordini-  
nis nostri Fautoris excitatus. Olim hunc locum mechanicorum  
officinæ occupaverant, quæ publica Auditoritate tollendæ, & situs  
pretiō redimendus erat. Tandem devictis, complanatisque diffi-  
cultatibus Sacrum hoc Ordinis Monumentum anno præsente in  
Festo S. Joannis Baptistæ inter exquisitam musicorum symphoniam  
solemniter fuit dedicatum; cujus protinus variæ effigies, æri  
incisæ, prodiverunt, & juvat quarumdam meminisse, quatenus ea-  
rum memoria cum celebritate adhuc viridis ad posteros transeat,  
quæ, ut sunt res humanæ fugaces, facile alioquin obliteraretur.

IV. Prima igitur hujus Statuæ Imago & cæteris venustior  
sumptibus Ordinis excusa fuit, ad cujus pedem sequens legitur in-  
scriptio: *Sacratissimæ in Monade Triadis, Divinissimæ in Triade Mo-  
nadicæ cultui, & catenatae in Triade cœlitum unionis S. Joannis de Ma-  
tha Genitoribus nobilitate ac pietate claris Annô 1160. in lucem editi,*  
*Lutetiae Parisiorum sacrosanctæ Theologiæ supremâ Laureâ insigniti, vin-  
culis ardentissimæ in proximum Charitatis captivi, a mundi captivitate  
liberrimi (Hunc DEUS Principem & Redemptorem misit cum manu  
Angeli, qui apparuit illi. Actorum cap. 7. v. 35.) Prodigiosi vinculatae  
Charitatis Redemptoris S. Felicis Valesii ex Regali Valesiorum Familia  
Annô 1127. orti in Gallia, felicioris fortunæ fidelibus valentissimi Affer-  
toris, felicissimorum Ordinis SSS. TRINITATIS & Redemptionis capti-  
vorum per Innocentium Papam XIII. Datis Laterani 16. Kalendis Ja-  
nuariorum Annô Incarnationis Dominice 1198. propria cum Regula confir-  
mati Patriarcharum: S. Ivani Dalmatarum Regis Gestimuli ac Elisa-  
bethæ primogeniti Filii de triumphata regie vanitatis servitute Glorio-  
sissimi Victoris, olim variorum locorum in Bohemia 42. annis Incolæ, nuno  
ejus*

1714.

eiusdem Regni Sopitatoris; Sandorum ter magnorum libertatis Filiorum DEI Patronorum Honora, banc saxeam molem Liberalitas & Munificientia Illustrissimi DD. Joannis Francisci Josephi S. R. Imperii Comitis de Thun Ponti Prageno imponi fecit, cujus veneracioni in aeternitate gratitudinis tesseram eandem scalpræ expressam molem devotissime consecrat universus Sanctissima TRINITATIS & Redemptionis Ordo Discalceatus. Alterius exempli paris ferè magnitudinis cum priore in libro quodam, omnes cæteras statuas continente, est inscriptio brevior quidem, sed non minus elegans hanc formâ: *Siste Viator & ad Sanctissimæ Triados Figuram cernum tres unâ Sanctos mirare & venerare: Joannem de Matha, Felicem de Valois atque Ivanum.* Duo ex iis Regum sanguine orti: Felix & Ivanus Regno Bohemiae prosperitatem portendunt. Duo florentissimi Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum Fundatores Joannes & Felix idem Regnum novæ ac singulari splendore beatissima reddunt. Illustrissimus DD. Comes Thun Liberali sumptu suo eorum effigies saxeas in Ponte Prageno fieri fecit. Et eas in papyrus translatas Sanctissime TRINITATI dicat, consecrat creatura infima Augustinus Neurauter. Tertium exemplar adferendum quoque duximus, quod licet in parva forma prodiret, est tamen in artificiose symmetriæ Architecitura cæteris non inferius, & eadem, quæ maxima representat, cuius talis est inscriptio: *Figura Triados Sacratissimæ cum Sacra Cœlitum Triade, Munificentissimæ Illustrissimi DD. Joannis Francisci Josephi S. R. I. Comitis de Thun in Prageno Ponte, nunc in hac lamella Illustrissime Ejus Herulæ stemmatis stellulae Mariae Josephæ Claræ in festo no<sup>m</sup> M<sup>i</sup> n<sup>is</sup> DeIparæ e Xortæ honor<sup>I</sup> Consecrata ab humili in Christo seruo P. Bartholomæ a Jesu.* Hæc & aliæ in eodem anno sœculi decimo quarto, quod possum fuit, celebris Monumenti prodiverunt effigies, quod commendationem auget, nos tamen, qui brevitati studemus, neque Lectori molesti esse volumus, plures omittimus.

V. Vitas Sanctorum Patriarcharum Nostrorum JOANNIS & FELICIS tum ex libris, qui horum Sanctorum res gestas peculiariter exequuntur, tum ex Romano Breviario & aliis paßim Historiographis bene multis satjs esse notas arbitror, quare iis recensendis non immorandum esse duxi. Sed quoniam superius promisi, me acta S. Ivani Anachoretæ paucis saltem relaturum, datum fidem ego nunc liberare aggrediar, præcipue cum res gestæ hujus Sancti non ita sint per vulgatae apud exterios velut apud eruditos indigenas: in his vero recensendis utar patriis Scriptoribus eorumdemque receptis Documentis, videlicet ex Pontanô, Saliô, Chanoviô, Brideliô & recentiore Balbino depromptis. Ivan Sclavonica dialecto idem prorsus ex usu esse videtur, ac Joannes Evangelista; Ivan enim ab Evan, & hoc ab Evangelista depromptum esse facile noscitur. Ut autem sterilem de nomine contentionem missam faciamus, fuit S. Ivanus Gestimuli Regis Dalmatarum, & Elisabetæ Reginæ, ejus Conjugis, Primogenitus. Rex Pater, postquam a Lothario Imperatore hujus nominis Primo anno sœculi noni quinto & quadragesimo in pælio occisus fuisse, Ivanus mundi vicissitudines perosus paternō excessit Regnō, ut CHRISTO

Vita S. Ivani  
Anachoretæ.

Acta Sanctorum  
rum Hollandie  
24. Junii pag.  
324.

D d d d d d d  
dein-

1714. deinceps in solitudine famularetur. Evidem fratres naturali amore impulsi eum insecuri sunt, ut ad capessendum Regnum inducerent: ille verò ad DEI opem versus impetravit, ne posset agnosciri. Ab Angelo deinde visibili specie monitus, & Danubium transire iussus, ab eodem in Bohemiam deducitur, ubi per duos & quadraginta annos varia incoluit antra. Novissimum fuit, quod de *Petra* dicitur, ubi per annos quatuordecim dimoratus oratione & jejuniō de infernalibus spectris DEI ac Cœlitum ope triumphavit. Primō bienniō tam atrocibūs Dæmonum infestationibus in hac spelunca vexatus fuit, ut eam deserere cogitaret, sed abeunti (locus etiamnum ostenditur) S. Joannes Baptista occurrit, & cruce data jussit intrepide iter relegere. Obscurus Ivanus & cruce munitus confidenter in antrum regreditur, Tartaream legionem mox fugat, unique dæmonum pervicaciū resistenti crucem in os impingit, & injicit, qui virtutem ejus sustinere haud valens, crucem continuo evomens per antri saxum ingenti foramine & hinc tu relicto evolavit. Sic profligatis Orci spectris a molestis interpellatoribus liberatus dies noctesque in precibus & rerum cœlestium contemplationibus, divinisque laudibus exegit. Angelicam vitæ rationem sestatu, nullique mortalium cognitus, ut potè, qui ex hoc spelæo nunquam prodire solebat, idque ne viētūs quidem querendi causâ, quia Divini Nominis Providentia ei cervam submisera, cuius lacte quotidie pasceretur: hanc Borivogius, Princeps Bohemiæ, in venatu deprehensam, & ad Ivani antrum fugientem, rerum inscius sagittâ confixit. Ad venationis tumultum antrō egressus senex Borivogium primō conspicit, & cervam multis annis nutricem suam lethaliter confectam querit. Sciscitanti deinde Principi omnem vitæ suæ rationem aperit: Borivogius autem Anachoretam blando sermone delinitum ad se domum invitat, & missō asellō ipse sequenti die Tetinum ad Principem, & S. Ludmillam ejus conjugem venit, quibus in religione, virtutum studio & cœli amore mirificè confirmatis ad antrum suum regressus est. Instante verò mortis tempore S. Ludmilla per visum cœlitū admonita Paulum Sacerdotem, domesticum Sacellanum, ad Ivanum cum Sacrorum apparatu ablegat, qui noxis ejus auditis sacrosanctā Eucharistiâ refectionem ad mortem comparavit. Post triduum abiit in cœlum seniō, magis tamen Sanctimoniam venerabilis, anno, ut quorumdam fert opinio, nongentesimō supra decimum. Principes super Sancti Viri tumulum Honori Sanctæ Crucis, & Sancti Joannis Baptistæ Sacellum condidere, eumque locum Sacerdotibus commiserunt. Postea Stirps Hazenbergica ibidem Cœnobium excitavit, & S. Benedicti Sodalibus incolendum tradidit. Ornandum S. Ivani tumulum sibi quoque suscepserunt Imperatores Pjissimi ex Austriaca stirpe Reges Bohemiæ, Augustoque ibidem superstructo Templō locum illum in celebre Bohemiæ Sanctuarium converterunt.

Occlito Patre  
Rege fugit in  
eremum & ab  
Angelo duci-  
tur in Bohe-  
miam.

S. Crux mu-  
nitur.

Conficitur  
cam orci spe-  
ctris.

Sagittâ con-  
ficitur cerva A.  
lamna.

Feliciter obit.

Sacellum ei  
edificatur ubi  
sunt tem-  
plum & co-  
nobium Or-  
dinis S. Ben-  
edicti.

Cur Nostris  
SS. Patribus  
hic associatus.

VI. Ideo autem S. Ivani Simulacrum ad hoc nostri Ordinis Monumentum accessit, quia omnes caeteri Bohemiæ Indigetes & Patroni, in erectis statuis ad Pragensem Pontem jam eminebant. Unicus

Unicus S. Ivanus adhuc desiderabatur, cui locus iste jam destinatus erat, si quis ejus cultui statuam decerneret; ast cum diu nemo inveniretur, qui huic operi manum admovere vellet, Illustrissimus Comes Thun, postquam Sanctis Patriarchis nostris insigne Monumentum in dicto ponte condere statuisset, S. Ivanum eisdem adjunxit, & ad sinistram Sancti Patris Nostri JOANNIS de MATHA ejus statuam collocari voluit, quasi Gloriosissimo Patriarchae Nostro ob principalem Fundatoris prerogativam locum honorarium S. Ivanus cederet. Sanctus vero Pater Noster FELIX VALESIUS ex Regia Stirpe oriundus, inferiorem ibi locum accepit, ac si & ipse S. Ivano, duobus propè saeculis se antiquiori, postponi vicissim elegisset: idem esto judicium de cervis, qui ad bonam harmoniam consentiunt, & Sanctis ipsis juxta ordinem addi debuerunt.

## C A P U T XVIII.

### *Posonii in Publicis Comitiis sacer noster Ordo in Hungariae Gremium recipitur, & in eodem Regno stabilitur.*

I. **J**us Indigenatus acquirere dicitur, qui civitate donatur, de qua re consuli poterit Cicero in *Oratione pro Archia*; Municipio videlicet Legum Auctoritate gaudet. Pridem id apud Romanos in usu fuit, qui pro recepta consuetudine Nobiles civium duntaxat nomine afficiebant, quemadmodum etiam hac nostra etate apud non paucas gentes eximum est nomen *Patriciorum*; & mediae etatis temporibus Militis titulum non minus in honore fuisse subscriptiones Actorum publicorum & Diplomaturn testantur. Quod autem Viros Religiosos & eorum Domicilia praeter alia multa privilegia & exemptiones circa Jus Civitatis concernit, eos partes esse Reipublicae, ac participes in favorabilibus, non tamen omnibus, experientia & consuetudo docet. Quidquid tamen sit, quia hujusmodi Privilegia sive Gratiae ex natura semper prodeesse debent, obesse non possunt, ideoque ut ex Regis Gratia & Procerum benevolo assensu diminant, plurimum sunt veneranda, praestantque suo tempore protectionis effectus.

II. Quod nostros attinet, diffiteri nequeo, illos haud perfunctorie operam dedisse, ut in Publicis Regni Comitiis Ordo noster in Hungariae Gremium legaliter reciperetur, cum & alii Religiosorum Coetus Jus Indigenatus sibi gloriae & ornamento ducant minimè contemnendo. Nec deerant ei merita ad hanc gratiam obtinendam: res tamen dilata fuit usque ad annum praesentis saeculi decimum quartum, quo hoc negotium tentatum, effectumque fuit, nemine quidem (ut ex certis habemus) contradicente. Dies erat octava Novembris ferventibus adhuc Comitiis, quâ Posonii petitio nostra proposita consonis suffragiis exaudita & concessa fuit. Idipsum Indigenatus Privilegium alii quoque duo Ordines Religiosi postulaverunt, ac Statuum indulgentia feliciter

*Cicero pro  
Archia.*

*Indigenatus  
Legibus pa-  
triae gaudet &  
Privilegia.*

*Nostrum Re-  
gnum Hungariae  
cives affe-  
muntur.*

*Omnium suf-  
fragiis.*

1714. etiam impetraverunt. Porro anno sequenti die decima mensis Junii Augustissimus CAROLUS VI. Romanorum Imperator Rex Hungarie hunc aliisque Comitiorum articulos Regia Sua Auditoritate in Castro Laxenburgico confirmavit. Eum nos Articulum sicut in Actis Comitiorum sub numero centesimo & secundo repe ritur, huic Historiae tanquam proprio loco inferere decrevimus. Ecce illum : *Ad demissam Ordinum infra scriptorum coram Statibus & Ordinibus super receptione sui in Regnum Hungariae, Parcoque eiusdem annexas, fasam instantiam, tame si aliunde Authoritate etiam Regia introduci & stabiliri possent, ad demissam nobilem in Sessuum recommendationem Benigno Sua Majestatis Consensu accedente determinata est, ut Religiosi Ordines Fratrum Camaldulensium, & Sancti Iosephini TRINITATIS de Redemptione captivorum nec non Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI de Scholis Pitti in Regnum istud Hungariae & Partes eidem annexas, voto tamen & Sessione absque omni receptis ac stabilitis habeantur, Bonaque Fundationalia purè facultaria & liberæ Fundatorum dispositioni subiecta Jure & Titulo dignacesset quonoris possidere valeant.*

## C A P U T XIX.

### *Comaromiensis Cœnobii nostri Fundatio in effectum producitur.*

**Defideratur  
Comaromien-  
sis Fundatio-  
nis effectus.**

I. **Q**uamvis Eminentissimus Cardinalis de Saxonia Archi-Episcopus Strigonensis propensam semper nobis voluntatem ostenderet, & crebrius jam experta Clementissimi Cæsaris gratia ac benevolentia fausta omnia pollicerentur, negotium tamen nostri Comaromiensis Cœnobii, pro quo stabilendo haec tenus tantopere laboraveramus, etiamnum inter salebras herebat, aliusque semper ex aliis morarum causis subpullulantibus ad extremum nihil ex animi sententia procedebat :

*Lucanus lib.  
10. Pharsal.*

*Hæromus cuncti Superis, Temploque tacente  
Nil agimus nisi sponte DEI.*

**Ad effectum  
ravet amici  
Consilium.**

II. Dum itaque sacrum inter & saxum nostra versantur consilia, P. Martinus ab Ascensione, qui eo tempore munus Procuratoris Generalis in Curia Cæsarea administrabat, clam a quodam Ordinis nostri Fautore admonitus audit, facile submotum illi cuncta impedimenta, votis nostris adversantia, si ab Imperatore ad Cardinalem Archi-Episcopum Litteras impetraret, quibus Cæsar ejus mentem circa præsens negotium exquireret; quodsi enim istud fieret, afferebat omnino futurum, ut Cardinalis favorabilem pro Cœnobii stabilimento sententiam haud cunctanter esset promulgaturus. Tam salutari consilio Pater ætatum obsecutus superpli libellô Cæsari exposuit Foundationis Comaromiensis Authorem, rerum hucusque ætarum teriem, dilationes, aliisque hinc proposito consentanea, quibus Augustissimus Imperator permotus faventissimas exempli Litteras ad dictum Cardinalem sequentibus verbis expedivit :

**A Cæsare im-  
petratur Epi-  
stola ad Car-  
dinalem.**

CA-

## CAROLUS VI.

1714.

Reverendissime in Christo Pater, & Serenissime Cognate Nobis  
fincerè Dilectæ: Non latebit Dilectionem Vestram, qualiter annis  
superioribus per Sacratissimum olim Principem LEOPOLDUM Ro-  
manorum Imperatorem & Hungaria &c. Regem, Dominum Genito-  
rem & Prædecessorem Nostrum, Gloriosa Memorie, Desideratissi-  
mum Religiosus Ordo Sanctissima TRINITATIS de Redemptione  
Captivorum tam in Archi-Ducatum Austriae, quam etiam in Hunga-  
riam introductus fuerit, & quantum hactenus pro emolumento  
Rei Christianæ, & præsertim captivorum solatio præfiterit, ubero-  
ra in futurum sua Religiose Vocationis specimina exhibitus, an  
firmitiores agere possit radices, & piarum fundacionum reddatur  
particeps. Et quia a defuncto Cancellario Hungarico dulico &  
filio Episcopo Nitriensi Reverendo quondam Ladislao Mattyasovs-  
ky certam Fundationalem summam obtinuerunt, eamque ex inten-  
tione dicti Fundatoris Comaromii applicare vellent, cumque jam  
etiam certum Liberum Fundum pro adificanda Ecclesia & Monas-  
terio comparassent, humillimè supplicarunt Majestati Nostre, qua-  
tenus huic mentionatorum Religiosorum intentioni Benignum No-  
strum Regium Consensum iisdem elargiri dignaremur. Et licet,  
ut benigne informamur, ejusmodi Monasterii & Ecclesie fructu-  
ra finè præjudicio ipsiusmet Fortalitii, ac etiam Incolarum Comaro-  
mienstium utrinque nimirum & Commandante Militari & Incolis  
consentientibus admitti possit, quia tamen ad hoc Dilectionis quoque  
Vestra, quæ Diaconiani & Ordinarii assensus prærequireretur, hinc  
Benignum adbuc Consensum Nostrum, quem alias lubenter iisdem  
præbere cupimus, tantisper suspendendum esse duximus, usquequæ  
Dilectionis Vestra superinde mentem & opinionem capiamus.

Quapropter Dilectionem Vestram hisce Benigne requirimus,  
quatenus respectu prælatorum Religiosorum, Comaromii pro se Eccle-  
siam & Monasterium adificare cupientium, a Dilectione Vestra petiti  
assensus mentem & opinionem suam Majestati Nostre quantocvls  
submittere velit, nec intermittat. Gratiâ in reliquo Nostro Ca-  
sareo-Regia Dilectionem Vestram Benigne jugiterque complectimur.  
Datum in Castro Nostro Laxenburgico die 17. Junii, Annò Domini  
1714.

III. Hac cedrō digna in Ordinem nostrum Commendatione  
confectum erat diuturnum negotium, spesque optati successus e  
propinquuo jam affulgebat; istud enim erat, quod Cardinalis Ar-  
chi-Episcopus pridem optaverat, seu quod caute Cœsari tanquam

Eeeeeee

Conatus  
Cardinalis,

Regi

1714. Regi Apostolico primas delatas cuperet, seu quod Principem inter ipsa Regiminis initia etiam in decisione rerum Sacrarum antevertere nolle. Res tamen modicūm ob quasdam causas adhuc comperendinata fuit, donec remotis omnibus aut sublatis Cardinalis Archi-Episcopus Cæsari in Ordinis nostri favorem sequentibus Litteris respondisset :

Eius respon-  
sio ad Cæs-  
arem.

*Sacratissima Cæsareo-Regia Majestas  
Domine D. Clementissime.*

*Sacratissimæ Majestatis Vestre Clementissimè ad me sub dato in Castro Laxenburg 17. Junii hoc anno currente emanatas, quibus ut mentem & opinionem meam respectu Religiosorum Santissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum Comaromii pro se Ecclesiam & Monasterium ædificare cupientium, quâ Loci Diocesanus Sacratissimæ Majestati Vestre quantocyùs submitterem, benignè demandare dignatur Majestas Vestra, eâ, quâ par est, submissione accepi. Quemadmodum igitur Sacratissimæ Majestatis Vestre circa promovendum memorati Ordinis in Hereditario suo Regno Hungariæ ulterius incrementum Pientissimæ Intentioni demissimè cooperari, quantum in me est, tantò ardentiùs desidero, quantò haclenius majora exactæ vitæ, & Regularis Discipline in ejusdem Ordinis Religiosis confexi exempla, prôque emolumento Orthodoxæ Fidei, ac præsertim Christianorum in barbara apud infideles captivitate degentium consolatione præclariora intueor per ipsos præstata insignis certè Charitatis opera, ac spem exinde firmorem merito concepi uberiora in futurum ab hoc Ordine fore exhibenda, ubi ubiores hocc in Regno radices egerit, plurib[us]que Domiciliis & Fundationib[us] fuerit augmentatus. Ea propter Altefato Clementissimo Sacratissimæ Majestatis Vestre Mandato quam promptissime obedire cupiens, num quid esset, quod praattacto Religiosorum istorum Cæsareo-Regie Majestatis Vestre submississimè exposito petito obstare posset, prout opus erat, inquisivi, nihilque omnino reperi : neque enim tantummodo a Triplici Statu Regii & Privilegiati illius Oppidi Comaromiensis, quod ad ædificandam per dictum Religiosum Ordinem in Fundo ibidem ad hunc finem compatriato Ecclesiam & Monasterium expressum Consensum jam esse præstitum cognovi, verum etiam, tametsi alii quidam Religiosi innixi privilegiis suis initio ædificationi huic contradixissent, iidem tandem se Clementissimæ Voluntati ac Intentioni Majestatis Vestre quam obedientissimè conformant, ac quam promptissimè subjiciunt, cum præsertim nullum sibi ex ædificatione hujus Monasterii & Eccle-*

Beclesia praeiudicium fore punitum cognoscent, ex quo Ordo yf: 1714.  
 Comaromia e Fusilatione sua p: culturum, neque electrofymas, ita  
 aliis membra se collectorum promovet. Dignus prouide buse  
 Religionis Padres eccl:is: ut a Sacra utissima Majestate Veftra,  
 quod ad suam Clementissime bumanitatem hunc factum Inuentiam  
 exquiri meritorum. Quis etiam cum in primis Gratias Coface-  
 logis una maxima demissione commendans manu.

*Marie Thul 17. Julii  
1714.*

IV. Nihil jam reliquum erat, quod Cardinalem Archi-Epi- Diplomatic  
 stopum de Cesaris beneplacito & Voluntate certum remoraretur. his in expe-  
 Confectum igitur Diocesane Jurisdictionis Auctoritate secundum-  
 Ecclesie Canones consensum solum ad stabiliendum Ordinis no-  
 stra in oppido Comaromieni Comodum expediri jussit, atque  
 in hunc finem ex eius Tabulario sequentes Littere in grandi Per-  
 gameni folio, cui Sigillum in robes certi, ex aureis tendolis pen-  
 dulam, adherer, scripte prodierant in hanc modum:

NOS CHRISTIANUS AUGUSTUS DEI GRATIA S.R.  
 Ecclesie Presbyter Cardinalis, Nationis Germanica apud Sedem  
 Apofolicalm Protector, Archi-Episcopus Strigoniensis, sacra Sedis  
 Apofolicala Legatus Natus, Primus Regni Hungariae, eiusdemque  
 Summus Cancellerius & Secretarius, Comitatus Strigoniensis Su-  
 premus & perpetuus Comes, Episcopatis Lauriniensis Administrato-  
 tor, Dux Saxoniae, Iulia, Circis & Montium, etiam Angariae  
 & Westphaliae, Landgravius Turingiae, Marchia Musica, superioris  
 & inferioris Lusatiae Comes, Princeps Hennebergensis, Metropolita-  
 na & Electorialis Ecclesie Coloniensis Proppetus & Tresaurarius,  
 Comes Marchia & Ravenbergae, Dominus Ravenbergii, Ballivus  
 Turingensis Luculentensis, Sacre Cesarie, Regisq: Neiphatis Con-  
 filarius Attualis intimus &c. Memoria communitatis temore  
 presentium significantes, quibus expedit, universi; Quid, cum  
 Nos regularis vita, & strictioris Disciplina religiosa exemplarem  
 semper obseruantiam, exultates istud pro DEO, Ecclesie, & Ani-  
 marum salute labores, ac presentim Excellentissima Caritatis in  
 recompensis e captivitate Barbarorum CHRISTI Fidelibus aperi-  
 ma documenta, quibus Ordo Sanctissima TRINITATIS de Redem-  
 pzione captivorum Disalveatorum in hoc Inclytum Hungaria Regnum  
 a Predecessoribus Nostris laudabiliter introductus & admisus cum  
 Nobis & totius populi salutio non abs multiplici fructu, & spiri-  
 tuali praeciosarum aurib: & argenti redemptiarum Sanguine CHRISTI

1714. animarum senore, vigore piissimi Religiosi Institutii sui indefessè incumbit, accuratis contemplati sufficiemus, propriaque experientia didicimus, merito exinde spem firmorem etiam conceperimus. Eundem sacrum Ordinem eò uberiorē adhuc in emolumenium locutus Rei Christianae, & hujus præsertim Apostolici Regni solatum, in futurum hujuscemodi religiose vocationis fructum sagittum, quod majores in hoc eodem Regno radices egerit, & pluribus Dominicis, atque Monasteriis per idem fuerit diflatatus. Quapropter cum Nobis humiliter iidem Religiosi Patres exposuerint, qualiter a p[re]dicto fundo quondam Hungarico Aulico Cancellario & simul iunc Episcopo Nitriensi Illustrissimo & Reverendissimo quondam Domino Ladislao Mattyasowsky certam foundationalem pecunia Summatam obtinuerint, eamque ex intentione dicti Fundatoris sui Comaromii applicare vellent, atque eum in finem jam etiam certum liberum Fundum pro adiunctanda Ecclesia & Monasterio perapertum ibi comparsent, Nobis ulterius supplicantes, quatenus iisdem necessarium Assensum nostrum superinde, quâ Loci hujus Diaconatus, & Ordinarius benignè impetriri dignaremur. Nos igitur petitionem corundem Religiosorum Patrum Ordinis Sanctissime TRINITATIS de Redemptione Captivorum, Discalceatorum, ex premissis in cognitam, maturamque considerationem assumentes, nihilque quod hac in parte Constitutionibus sacerorum Canonum obstat posset, reperientes ipsorum eidem zelose petitioni non minus justè, quam benignè annuendum omnino duximus, prout etiam hinc annuimus, Assensum nostrum damus, ac Facultatem libenter impetrimus, & sepefatos Religiosos Patres, sive jam eò introductos, sive adhuc introducendos, illorumque Successores in eodem loco Comaromii perpetuū firmos, ac stabiles facimus, atque eorum jam pro nunc interim ibidem Residentiam & suo tempore cum Ecclesia erigendum Monasterium Authoritate Nostra Archi-Episcopali, & Primali inter reliqua hujus Loci Monasteria, ac Religiosas Domos deputamus, connumeramus, & adscribimus, utque ab omnibus in perpetuum pro tali reputetur, numeretur, & habeatur, omnibus etiam Gratis & Privilegiis, Indultis ac Exemptionibus, tam in Spiritualibus, quam Temporalibus amodò gaudeat, fruatur, & portetur, quibus alii Conventus, vel Religiose Domus de Jure, vel Confuetudine gaudeat, frui, & potiri consuevere, volumus, & declaramus Præsentium per vigorem. Hoc ita tamen, & sub hac expressa Lege, ut primò sepefati Religiosi Patres tam edificium Monasterii hujus, quād Eccle-

Ecclesie pro posse suo maturare conentur, quatenus conveniens completo Conventu Religiosorum numerus, quantocvns fieri potest, eò introducatur, & juxta Ordinis Institutum Divina servitia ordinate, & regulatè ibidem peragantur. Secundò, tametsi, & quoisque etiam Residentia tantùm in eodem loco exsisterit, nec in numero competente, sed aliquot etiam pauci Religiosi eam inhabitaverint, Religiosa tamen Clausura nibilominus accuratè ac ad amissim observetur, neque ulla persone fæmineæ juxta septa Residentie hujus amodò & in futurum accessus pateat, & permittatur. Ceterùm bene, ac firmiter sperantes saepatum Ordinem Sanctissime TRINITATIS de Redemptione Captivorum, Discalceatorum huncce Nostrum erga se affectum & benignam semper propensionem debita ac pia gratitudine quoque agniturum, & Divinam Bonitatem precibus & Sacrificiis suis pro Nobis vicissim constanter deprecaturum. In quorum omnium maiorem Fidem has Præsentes manu propria subscripsimus, & sigillo nostro communiri jussimus. Posonii in Nostra Residentia Archi-Episcopali die secunda mensis Augusti, Annò Domini Mille-simò septingentesimò decimò quartò.

*Cardinalis de Saxonia Archi-Episcopus  
Strigoniensis.*

*Ex speciali Mandato Eminentissima Sua Serenitatis,  
Franciscus Gatzl Confiliaris  
& Notarius Apostolicus.*

## C A P U T XX.

*Pro Comaromiensi Cœnobio nostro Cæfareo-Regium Confirmationis Diploma impetratur. Nostri solemniter in fundum proprium ibidem introducuntur. In Domus nostræ Sacello Sanctissimum Euccharistiae Sacramentum collocatur.*

I. **P**ost obtentas die tertia Sextilis Augustissimi Imperatoris Litteras, quibus emptio & venditio Libere Domus Comaromiensis secundum Acta, legitimè confecta, Auctoritate Cæsareo-Regia confirmantur, simul aliud etiam Diploma feliciter impetravimus, quod mandabatur, ut nobis Domus cum aliis adhærentibus Fundis in Possessionem consueta solemnitate traderetur. Ambo præ manibus sunt, sed quoniam prolixa nimis, ne Lectiois abuti patientiâ videar, unum consultò prætero, quia ferme eadem continet. Alterum autem supprimere nolui; præterquam enim, quod totam quasi medullam prioris in se comprehendat, etiam substantiam ipsius actus clarissimè exprimit, quod ad possessionem dictæ Domus introducti sumus. Hoc itaque isdem verbis referam, quibus conscriptum fuit.

*Cœnobio Confirmationis Diploma impetratur.*

*Omittantur hic alia Cœnæ duo Diplomata, ne multiplicentur Recipta.*

F ffffff

CARO-

1714.

CAROLUS VI. DEI GRATIA ELECTUS ROMANO-  
rum Imperator semper Augustus, ac Germanie, Hispaniae, Hunga-  
rie, Bohemia, Dalmatiae, Croatiae, Sclavonie, &c. Rex, Archi-Dux  
Austriæ, Dux Burgundie, Brabantie, Styriae, Carinthie, Carniolie,  
Marchio Moraviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, & Goritiae &c. &c.  
Fidelibus Nostris Honorabilibus Capituli Ecclesie Metropolitane Stri-  
goniensis Salutem & Gratiam. Quum Nos binis illis Litteris,  
& primis quidem, super certa Nobilis Domine Marie Rosina nata  
de Miltenberg, antea Caroli Andree Brentano de Cimarolo, jam  
verò Fidelis Nostri Francisci Antonii Kemetingen Militie Nostre  
Cesarea Regiminis Bagniani Vice-Colonelli conthoralis, quà etiam  
alterius Caroli Andree filii, nec non Marie Eleonoræ & alterius  
Marie Juliana filiarum, suorum ex prefato priori Domino & Ma-  
rito suo suscepiti, & primogenitarum naturalis Tutricis & Curatri-  
cis, ac simul etiam Plenipotentiaria, nec non ipsius quoque premen-  
tionati Caroli Antonii Brentano ab una: Parte verò ab altera Fi-  
delis itidem Nostri Honorabilis ac Religiosi Patris Martini ab  
Ascensione Domini, sacri Ordinis Discalceatorum Sanctissime TRU-  
NITATIS de Redemptione captivorum, quà eorum Commissarii  
Generalis Fassione & respectivè Venditione ac Emptione Testimo-  
nialibus in hacce Civitate Nostra Vienna Austria die decima se-  
ptima mensis Decembris, Anno Domini millesimo septingentesimo  
duodecimo transactò præteritò, sub Judiciali & Authentico Sigillo  
Spectabilis ac Magnifici condam Comitis Georgii Erdödi de Monyor-  
kerck, quà eorum Judicis Curie Nostre Regie apud Protonotarium  
tunc suum Fidelem utpotè nostrum Egregium Stephanum Nagii de  
Felsö Bük habito ad fidelem modofati Protonotarii sui Relationem  
Latino idiomate emanatis, ac in forma Libelli simplicique papyro  
confectis & conscriptis: Quibus mediantibus suprafatae ambe Par-  
tes eorum coram antelato dicti condam Judicis Curie Nostre Pro-  
tonotario personaliter constituta, prævia onerum & quorumlibet  
gravaminum ab utrinque in se se assumptione, & imprimis quidem  
præmentionata Domina Maria Rosina nata de Miltenberg, quā  
uti præmissum est, Tutrix & Curatrix, ac respectivè etiam Plen-  
ipotentiaria, non secus ac prefatus ejusdem filius Carolus Andreas  
Brentano, certam Curiam Nobilitarem in Regio Oppido Comaro-  
mensi, Comitatu Nominis ejusdem existente habitam, & a Nobili  
Domina Maria Sabina Fromboltin, Fidelis Nostri Egregii Martini  
Hoche Conthorale nec non Fidele similiter nostro Egregio Joanne  
Jacobo

Jacobo Nobili de Guttvald, quà legitimis ejusdem Curie Nobilitatis Possessoribus, simul cum horto, agrisque numerò quadraginta & uno, hospitio penes Arcem cum continua vini & cerevisie Educillatione, campisque, Pratis, Pastuis, Fœnibus, Vineis, ac ceteris quibuslibet Pertinentiis, nec non etiam Braxatorio ibidem adificato, ita tamen, ut Mille Floreni Rhenenses supra idem Braxatorium pro servando ex eorundem quinque per centum Interesse in Templo in antiquo Fortalitio Comaromiensi exstruēto, perpetuo Lu-  
mine, cum facultate nihilominus eosdem mille florenos, dum vel-  
lent deponendi, ac taliter jam factum Braxatorium ab omni pror-  
sus onere Fundationali liberandi, locati intelligentur, aliisque con-  
ditionibus in antelatis litteris Fassionalibus Testimonialibus fusiis  
appositis pro certa non contennenda pecuniaria Summa emptam, &  
comparatam suprafato Patri Martino ab Ascensione Domini præli-  
bati Sacri Ordinis eorum Generali Commissario, & consequenter To-  
ti modò fato Ordini Sanctissimae TRINITATIS de Redemptione ca-  
ptivorum, pro Fundatione Reverendi condam Ladislai Mattyasovsky  
Episcopi Nitriensis & Cancellarii Nostri Hungarici Aulici, in dicta  
oppido Comaromiensi exigenda similiter cum cunctis predictæ Curie  
Nobilitatis Appertinentiis & Utilitatibus superius fusiis recensitis,  
nec non etiam prementionato Braxatorio ibidem adificato, in, &  
pro Summa decem millium Florenorum Rhenensium, Jure pariter  
perpetuò, & irrevocabili, modis, formis, & conditionibus omnino in  
antelatis litteris Fassionalibus clarius expressis & denotatis dedisse,  
vendidisse, & impetrasse, Totumque, & omne Jus suum, quod in  
antelata Curia Nobilitari, Illiusque universis appertinentiis habue-  
runt, in repetitum sacrum Ordinem transtulisse, & transderivasse,  
E conversò verò antelatus Pater Martinus ab Ascensione Domini  
repetiti sacri Ordinis pro illo tempore Commissarius Generalis, se,  
prefatumque sacrum Ordinem, super eo, quod ultra septem mille  
florenos jam præviè per eundem, premissum in finem depositos, ac  
per antelatam Dominam Fatentem & Venditricem effectivè leva-  
tos, præattatos etiam mille florenos Fundationales sub prædeclara-  
ta Facultate actualiter in se, repetitumque Sacrum suum Ordinem  
assumat, residuos verò bis mille florenos Rhenenses in mensē Ja-  
nuario Anni Millesimi Septingentesimi Decimi tertii tunc affuturi,  
jam verò prateriti prænominatis Fatentibus, & Venditoribus hic  
Vienna exsoluturus sit, modis, pariter formis, & sub conditionibus  
in iisdem litteris Fassionalibus Testomialibus uberiori expressis,

1714. *Supponuisse. Et obligasse; Secundis verò antelatorum Mariae Rosina  
nata de Miltenberg, & repetiti ejusdem Fili Caroli Andreae Brentano  
Recognitionalibus, & Quietationalibus de dato Vienna An-*  
*stria mensis Februarii Anni Millefimi Septingentesimi Decimi tertii  
jam preteriti, Germanico idiomate consellis & emanatis, propriis  
que præmentionatorum Venditorum Syngraphis & Sigillis roborati.  
Quarum tenore idem Maria Rosina de Miltenberg, & Carolus  
Andreas Brentano prespecificatos residuos bis mille florenos Rhenen-  
ses sibi per repetitum Patrem Martinum ab Ascensione Domini,  
quà eorum Generalem Commissarium & Contrabentem defecit  
absque omni depositis, & numeratos esse, recognovisse, & consequen-  
ter ipsum prælibatumque Sacrum ejusdem Ordinem superinde quin-  
tasse dignostebantur, aliisque omnibus & singulis in antelatis utrin-  
que Ordinis litteris uberioris denotatis & expressis percepto prius Co-  
gnati Nostri Nobis sincerè Dilecti Reverendissimi in CHRISTO Pa-  
tris, ac Serenissimi Saxonia Ducis Christiani Augusti, Sanctæ Roma-  
na Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, Archi-Episcopi Strigoniensis, Pri-  
matis Regni Hungariae, Legati Nati, Summi & Secretarii & Cancella-  
rii, quâ Metropolitani & Loci ejusdem Ordinarii, hoc in passu Votò  
& Opinione. Nostrum Regium Consensum, Benevolum pariter &  
Assensum præbuerimus. Et nibilominus, cùm ad humillimam tam  
Fidelis pariter nostri Honorabilis ac Religiosi Patris Mauri a Con-  
ceptione Beatae Mariae Virginis repetiti Sacri Ordinis Discalceato-  
rum Sanctissime TRINITATIS de Redemptione captivorum mo-  
derni per Germaniam & Hungariam Commissarii Generalis, adeo  
que superius sati Patris Martini ab Ascensione Domini in officio  
Successoris supplicationem, quam & nonnullorum aliorum Fidelium  
Nostrorum demissam, ac seriam interpositionem Nostra propterea  
factam Majestati, tum denique pro solita nostra in DEUM pietate,  
& solerti cum universis iis, quæ ad Majorem Cultus Divini  
Promotionem, & Orthodoxæ Romano-Catholice Fidei Propagatio-  
nem, Religiosorumque Ordinum (quorum devotis ad DEUM suis  
& fundendis precibus, ac suffragitis, fausta & felicia suscepit Regi-  
minis Gubernacula Nos habituros piè confidimus) incrementum con-  
ferre, aut quidpiam momenti addere possent, magis magisque am-  
pliandis, dilatandisque, & stabiliendis, cura & solicitudine, peculi-  
aque Nostro Cæsareo-Regi, quod erga prælibatum devotum, Nobisque  
gratum & acceptum Ordinem Sanctissime TRINITATIS de Re-  
demptione captivorum, tanquam de Ecclesia DEI, & Republica  
Chris-*

Christiana benemeritum. liberationique Christianorum in diram  
barbarorum Christiani Nomini beneficium captivitatem incidentium,  
ad eis, tantaque charitate, ut opera, fidore, & industria propria,  
nec sine manifesto suorum Patrum & Fratrum pio bui operi in-  
cumentium vita periculo iam tot milles ex eadem servitute libe-  
beratos fuisse. & alii etiam liberari palam confit, flagrantique, ac  
intendit ducimur affectu. Totum item, & omne Jus Noſtrum  
Regium, si quod in antelatis Curia Nobilitari, nec non Hospitio, seu  
Diversorio, ac etiam Braxatorio in prænotato Regio Oppido Comar-  
omienſi, Comitatu ejusdem Nominis existente habitum, etiam tan-  
tum, qualitercumque haberemus, aut eadem, & idem Noſtrum ex  
quibuscumque causis, viis, modis, & rationibus concernent Major-  
itatem, simul cum cunctis suis utilitatibus & pertinentiis, quibus-  
tibet Terris ſilicet arabilibus, cultis & incultis, Agris, Pratis,  
Campis, Pastuis, Euenetis, Euenilibus, Sylvis, Nemoribus, Monti-  
bus, Collibus, Vallibus, Vincis, Vincarum Promontoris, Aquis,  
Fluviis, Piscinis, Piscaturis, Pisciumque clauſiis. & Aquarum  
Decurſibus, Molendinis, & eorum Locis, ac etiam Educibus, Genera-  
liter vero quarumlibet Utilitatum, & Pertinentiarum suarum Inte-  
gritatibus ſub suis veris metis, & antiquis limitibus existentibus,  
quibus Nominis vocabulo vocitatis, ac ad præmentionatam Curiam  
Nobilitarem, Hospitiumque, seu Diversorium, ac etiam Braxato-  
rium de Jure, & ab antiquo ſpectantibus, & pertinere debentibus,  
prælibato Sacro Ordini Discalceatorum Sanctissime TRINITATIS de  
Redemptione captivorum pro prestaſta Fundatione Comaromienſi,  
vigore aliarum Benignarum Litterarum Noſtrarum Consensuſ, ac  
Juriſ Noſtri Regii Donationalium ſuperinde emanatarum, Jure  
perpetuo & irrevocabiliter (ſalvo tamen Jure alieno) dederimus,  
donaverimus, & contulerimus, velimque ſupraſatum Patrem  
Maurum, quia, uti præmiſum eſt, modernum Commiſſarium Gene-  
ralem, & conſequenter prælibatum ſacrum Ordinem Discalceatorum  
Sanctissima TRINITATIS de Redemptione captivorum, pro Parte  
Fundationis præmentionatae Comaromienſi, in Dominium antelatae  
Curie Nobilitaris, nec non Hospitii, seu Diversorii, aut etiam Bra-  
xatori, prout & Educilli in prænotato Regio Oppido Comaromienſi,  
Comitatu ejusdem Nominis existentis habitum, per Noſtrum Re-  
gium, & vestrum Capitularem Hominem legitime introduci, Ean-  
demque, Eadem, & Idem, Eisdem statui facere, Legi Regni  
admittere. Super quo Fidelitati Vefra harum ſerie Benigne

G g g g g g

Commit.

1714.

*Committimus, & Mandamus, quatenus Vestrum mittatis Hominem, Vestro pro Testimonia fide dignum, quod praesente Fideles Nostris, Egregii, & Nobiles Georgius Zichy, aut Alexander Nedeczky, vel Georgius Baranay, sive Adamus Labody, aliis absentibus Homo Noster Regius, per Nos ad id specialiter transmissus ad facies prefatae Curie Nobilitaris in antelato Oppido Comaromiensi existentibus vicinis & commetaneis ejusdem universis inibi legitimè convocatis, & praesentibus accedendo introducat praefatum Patrem Maurum a Conceptione Beatae Marie Virginis, quia Generalem (ut p̄missum est) dicti Ordinis Commissarium, & consequenter pralibatum sacrum Ordinem pro Parte predicta Fundationis Comaromiensis in Dominium antelatae Curie Nobilitaris, nec non Hospitii seu Diversorii, ac etiam Braxatorii, prout & Educilli, omnino in prefato Oppido Regio Comaromiensi existentium habiti, distincte Juris Nostris Regii in eisdem habiti, statuatque Eandem, Eadem & Idem, Eadem, & consequenter repetito Ordini Sanctissima TRINITATIS de Redemptione captivorum pro dicta Fundatione Comaromiensi Ipsorumque Posterioris & Successoribus Universis, p̄missi Consensu, ac Juris Nostris Regii Titulis ipsis incumbentibus, simul cum cunctis suis Utilitatibus & Pertinentiis quibuslibet perpetuo possidentibus, si non fuerit contradicuum; Contradictores vero, si qui fuerint, evocet eosdem Idem Testimonium Vestrum contra repetitum Patrem Maurum a Conceptione Beatae Marie Virginis, & consequenter prerepetitum sacrum ejusdem Ordinem in Curiam nostram Regiam, nostram scilicet Personalem in Praesentiam ad Terminum competentem, rationem Contradictionis sua reddituros efficacem. Et post hanc hujusmodi Introductionis & Statutionis serviem simul cum Contradictorum & Evocatorum, si qui fuerint, vicinorum & commetaneorum, qui p̄missae Statutioni intererunt, Nomibus, Terminoque assignatō, ut fuerit expediendum, Nobis suō modo & ordine fideliter rescribatis. Secus non facili &c. Datum in Civitate Nostra Vienna Austria die tertia mensis Augusti, Anno Domini millesimo septingentesimo decimō quartō.*

Carolus

comes Nicolaus Illeskay.  
Ladislauus Huniady.

Propter Comitiā in differenda Introductio dispenſatur.

II. Hoc Diplomate obtento confestim universa disponebantur, que ad solemnem Ordinis nostri Introductionem necessaria videbantur. Fervebant autem sub idem tempus Posonii Regni Comitia, sub quorum decursu ex Majorum Instituto nefas habebatur hujus-

hujusmodi actus suscipere, præcipuè cùm in iisdem Comitiis ad decimum quintum Kalendas Novembris statuta fuisset Reginæ Coronatio, a qua nemo Nobilium aliorum negotiorum causa volunt, aut potuit abesse; adeò, ut ob augendum hujus functionis splendorem alia multa, eaque publica Regni negotia longius comprehendinari oportuerit, post quinque vel sex menses vix absolvenda: Cùm verò nostri longiorem moram non ferrent; præter consuetudinem & legis dispositionem facultatem impetrârunt, in ipso Comitiorum cursu ad diem septimam Januarii sequentis anni Dominus Possessionem solemnri ritu adeundi. Parabantur interea, quæ ad Domum inhabitandam paucis interim Religiosis erant necessaria: partitis igitur in varios usus illius ædificii cubiculis, id, quod cætera amplitudine ac commoditate superabat, in Sacellum conversum fuit, proximum vices oœi explevit, alia in coenaculum, culinam & reliquas officinas necessarias transierunt: cætera Religiosorum habitationibus aptabantur, prout loci usus permettebat. Impetrata quoque fuit interim a Cardinali Archi-Episcopo Loci Diocesano potestas aſſervandi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, in quem finem ara constructa fuit non quidem magno sumptu, decente tamen ornatu conspicua: æs campanum, quô signa dari oportebat, forinsecus propè Sacelli januam pendebat, quæ licet omnia magnò effent studiō præparata, nihilominus tunc quiescebant, donec aſſerta nobis per solemnem Introductionem præfata Domus Possessione communi effent usui servituta.

III. Convenerunt itaque ad diem septimum Januarii anni millesimi septingentesimi decimi quinti Reverendissimus Dominus Josephus Illyes, Metropolitanæ Ecclesiæ Strigoniensis Canonicus, Perillustris ac Generosus Dominus Alexander Nedeczkius de Duna Nedecze & Labotlan, Inlyti Comitatûs Comaromiensis Vice-Comes. Primus ille nomine Metropolitanæ Strigoniensis Ecclesiæ; alter velut Homo Regius, ut vocant, comparuit, ambo tamen Regis Apostolici Auctoritate, ut testimonium rei gerendæ perhiberent, conscripti, vocatiq. Præterea ex Comaromiensi Præsidio multi aderant Rei Militaris Præfecti, aliique plures ex utroque Statu viri Nobiles & Cives, quos hæc Introductio aliquomodo concernere videbatur, numerò supra triginta. Tanta hominum frequentia vetusto Hungarorum more in hujuscemodi permutationibus adhibetur, ut, si quis habeat, quod jure opponere possit, locus concedatur, eique liceat in conspectu eorum contradicere, aut si nemo aduersetur, actus in triduum differtur, ut sic majore fide, plurib[us]que testimonis Justitia Possessionis constet, omnib[us]que injuriis, quæ deinceps emergere possent, via intercludatur. Ex nostris verò ad ineundam hujus Domus Possessionem aderant P. Maurus a Conceptione Commissarius Generalis, P. Josephus a JESU Maria captivorum Redemptor P. Martinus ab Ascensione Procurator Generalis, P. Joannes a S. Felice, & P. Ferdinandus a Sanctissima Trinitate. His itaque cunctis in sepius memorata Domo congregatis Cælareo-Regium

1714.

Domus ad  
communem  
ufum disponi-  
tur.Facultas affec-  
vandi SS Eu-  
charistie Sa-  
cramentum.Æs campa-  
num.1715.  
Actus Intro-  
ductionis per-  
ficitur.

Ggggggg 2 Diplo-

1715. Diploma lectum fuit, quō ad finem perductō inventus est unus folummodō, qui serio protestaretur, & Introductioni contradictionem suam firmaret, ut proinde hæc ab omnibus unanimiter rejecta fuerit. Voluit & alter contradicere, non animō ponendi obicem, sed quatenus mos patrius dicis causā, ut ajunt, servaretur, & hujus Introductionis actus in triduum non producetur, his sic stantibūs aderat quoque tertius, quem pariter idem contradicendi pruritus invaserat. Omnes isti ad Regiam, ut vocant, Tabulam velut ad proprium Tribunal sunt remissi, jus ibidem, si quod haberent, prosecuturi, de quibus tamen nemo fuit, qui deinceps se moveret. Igitur Domus nostris in Possessionem rite tradita fuit, & in signum actus legitimè absoluti æs Campanum ad Sacelli nostri fores inter omnium congratulationes prima vice insonuit.

*Sacellum benedicitur, visitatur, primum Missæ Sacrificium & Sanctissimi Cibosatio.*

*Domus Prae-  
ses.*

IV. Altera post Introductionem die, octava videlicet ejusdem mensis Januarii post Solis ortum, Sacellum a P. Mauro benedictum fuit, & Reverendissimus Dominus Canonicus Josephus Illyes idem Sacellum & aram ex Delegatione Eminentissimi Cardinalis Archi-Episcopi visitavit, examinavitque, num locus esset pro Divinis Officiis obeundis decenter ornatus, satisque munitus pro Sanctissima Eucharistia custodienda? Cùm verò omnia ad Sacrorum Canonum præscriptum comparata vidisset, & approbatæt, datō ad primum Missæ Sacrificium celebrandum æris Campani signo rogatus est idem Reverendissimus Canonicus eum nobis honorem deferre, nostrumque Sacellum Primō Missæ Sacrificiō initiare, nec non Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod Archi-Episcopus jam indulserat, intra aræ Sacrarium collocare perpetuò ibidem asservandum. Ille, ut erat vir modestissimus, nostris precibus, quas sibi honori & gratiæ speciali duxerat, haud gravatè acquievit, primumque Missæ Sacrificium in eodem Sacello immolavit, & nostris in circuitu assistentibūs, cereosque ardentibus tenentibūs Sanctissimum Sacramentum intra Sacrarium repositum. Quibūs peractis quinque nostri eandem aram successivè adierunt, & non sine magno animi sui solatio Missarum quoque solemnia celebrarunt. Ad extēnum P. Joannes a S. Felice primus hujus Domus Praeses five Superior designatus, quod muneris sui ratio postulabat, cætera, prout permisere illa initia, in meliorem ordinem redigit. Atque hōc modō post decem ferè annorum decursum ab obitu D. Ladislai Episcopi Nitriensis, Piissimi Patroni nostri hæc ejus Fundatio tandem ad stabilitatem pervenit, & ab hoc anno

Sæculi decimo quinto antiquitatis suæ primum numerare incepit.



ANNA-